PERIPLECOMENVS

SIVE

DE EPICVRI, PERIPATETICORVM, ARISTIPPI PLACITORVM APVD POETAS COMICOS VESTIGIIS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM MARPVRGENSIVM ORDINE RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FRIDERICVS RANKE

HOEHENSIS.

MARPVRGI CATTORVM

TYPIS FRIDERICI TYPOGRAPHI ACADEMICI

MDCCCC.

Dissertatio inauguralis ab amplissimo philosophorum ordine probata a. d. IV Kal. Mart. anni h. s. C.

MVSAE MEAE CARISSIMAE

SACRVM.

Anni MDCCCXCVII initio a Birtio et Maassio, huius philologorum seminarii rectoribus, quaestio cum praemio proposita erat: *Ex comoediis Plautinis loci philosophici colligantur quam plurimi, cum philosophorum Graecorum sententiis accurate comparentur, ut, quo ex fonte hausti sint, vel ex quanam profecti disciplina, appareat. Imprimis vero Trinummus atque Miles Gloriosus respiciantur.* Cum iam dudum philosophia Graecorum valde mihi placuisset neque displicuisset Plautus, haec quaestio adeo mihi arridebat, ut tractandam eam mihi sumere constituerem. Quamquam magno cum studio — bona venia dixerim — maiore autem cum gaudio his philosophicis studiis me dedebam, nihilominus cum dies praestituta adesset, sicut fieri solet, vix ultra principia processeram. Sed tam comiter de fructibus, quos carpseram, semper mecum communicaverat Birtius, praeceptor carissimus, et haud pauca, quae me fugerant, indicaverat, ut eadem via procedere deliberatum mihi ac constitutum esset. Praeter Plautinas autem fabulas cum etiam Terentianas et Graecorum poetarum comicorum reliquias assumendas putarem, materia, quae iam per se satis copiosa erat et uber, adeo augebatur, ut omnium philosophorum sectarum, quae huc pertinent, sententias tractare nullo modo possem, sed nonnullis me esse contentum oporteret. Quo factum est, ut prima et altera parte huius libelli de Epicuri et Peripateticorum placitorum vestigiis, quae apud comicos inveniuntur, disputaverim, tertia deinde Periplecomeni, senis illius, qui est in „Milite Glorioso“, sermones, qui sapientia philosophica redundant, quonam ex fonte fluxerint atque de sene ipso quid sit iudicandum, anquirere conatus sim.

Quam ad rem priusquam accedam, opus videtur de ratione, quae inter poetas comicos Romanos et philosophos Graecos intercedit, pauca verba facere. Neque enim Plautum neque Terentium

philosophiae Graecae scientiam ex fontibus ipsis hausisse. hoc est philosophorum scripta legisse, per se patet neque ulla demonstratione indiget; unde sequitur locos philosophicos, qui in eorum fabulis scripti leguntur, e Graecis exemplis, quae illi vertebant, originem ducere. Graeci autem poetae non solum philosophorum libros summo cum studio legebant, sed etiam nonnumquam sive huius sive illius ferebantur discipuli, quos ad magistros libenter se applicasse mirabile videri non debet.

Sed ut rem ipsam iamiam aggrediamur et rebus philosophicis, in quibus tota haec disputatiuncula versatur, dignum capiamus initium, a dis immortalibus incipiamus et primum Epicuri de dis doctrinam accuratius tractemus, ut, quid apud poetas comicos valuerit, appareat.

Caput primum.

De Epicuri placitorum apud poetas comicos vestigiis.

θεοὶ μὲν γάρ εἰσίν inquit ipse ep. III [1] (Diog. Laert. X 123); *ἐναργὴς γὰρ αὐτῶν ἐστιν ἡ γνῶσις. οἵους δ' αὐτοὺς ⟨οἱ⟩ πολλοὶ νομίζουσιν, οὐκ εἰσίν.* Et profecto, longe aliter atque ceteri illorum temporum philosophi de dis iudicavit Epicurus, qui omnem vim, omnem potestatem, omnem imperandi non solum sed etiam omnino agendi facultatem iis dempsit ita, ut essent, qui nisi iocandi causa deos eum non induxisse putarent. [2]) *εὐδαιμονίαν* enim illam, ad quam ipse homines ducere volebat, omnem dis attribuit, neque, cum ne minimum quidem patiantur malum, eorum vita quidquam beatius vel omnibus bonis affluentius cogitari posse contendit. Quibus voluptatibus, quoniam immortales sunt, deos numquam frui desinere per se est perspicuum.

Cf. frgm. 361 (scriptor Epicureus [Plutarchi] de plac. philos. I 7, 7 pag. 300 D): *κοινῶς οὖν ἁμαρτάνουσιν ἀμφότεροι (Ἀναξαγόρας καὶ Πλάτων) ὅτι τὸν θεὸν ἐποίησαν ἐπιστρεφόμενον τῶν ἀνθρωπίνων καὶ τούτου χάριν τὸν κόσμον κατασκευάζοντα.*

---

1) Epicurea ed. Usener, Lips. 1887.

2) Cicero de divin. II 40.

τὸ γὰρ μακάριον καὶ ἄφθαρτον ζῷον, πεπληρωμένον τε πᾶσι τοῖς ἀγαθοῖς καὶ κακοῦ παντὸς ἄδεκτον, ὅλον ὂν περὶ τὴν συνοχὴν τῆς ἰδίας εὐδαιμονίας τε καὶ ἀφθαρσίας ἀνεπιστρεφές ἐστι τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων. [1])

Prorsus eadem de causa, voluptatibus quia semper fruantur, deorum vita beata iudicatur apud Terentium, Andr. v. 959, ubi Pamphilus se ipsum quoque immortalem futurum esse gloriatur, nisi gaudio suo aegritudo sit intercessura:

Ego deorum vitam eapropter sempiternam esse arbitror,
Quod voluptates eorum propriae sunt; nam mi immortalitas
Partast, si nulla aegritudo huic gaudio intercesserit.

Perbene autem accidit, ut statim hoc loco iudicii, quod supra de locorum philosophicorum, quos in fabulis Plautinis et Terentianis legimus, origine fecimus, praeclarum habeamus testimonium. Hanc enim sententiam non a Terentio esse inventam sed ex Menandri fabula „Eunucho“ ab eo esse translatam docet nos Donatus, qui ad hunc Andriae versum adnotat: *Hanc sententiam totam Menandri de Eunucho transtulit.*

Sed redeamus ad deorum vitam. Di omnino nil faciunt, nullis occupationibus sunt implicati, nulla opera moliuntur, in intermundiis, quae vocantur, habitant, se ipsos contemplantur suaque praestantia gaudent. Mundus autem iis non est curae, qui administratione, cum omnia per se fiant, nullo modo indiget.

Cf. frgm. 359 (Hippolytus philosoph. 22, 3 pag. 572, 5 Diels): *τὸν δὲ θεὸν ὁμολογῶν (Ἐπίκουρος) εἶναι αἴδιον καὶ ἄφθαρτον φησὶ μηδενὸς προνοεῖν, καὶ ὅλως πρόνοιαν μὴ εἶναι μηδὲ εἱμαρμένην, ἀλλὰ πάντα αὐτοματισμῷ γίνεσθαι. καθῆσθαι γὰρ τὸν θεὸν ἐν τοῖς μετακοσμίοις οὕτω καλουμένοις ὑπ' αὐτοῦ. ἔξω γάρ τι τοῦ κόσμου οἰκητήριον τοῦ θεοῦ ἔθετο εἶναι λεγόμενον τὰ μετακόσμια. ἥδεσθαι δὲ καὶ ἡσυχάζειν ἐν τῇ ἀκροτάτῃ εὐφροσύνῃ, καὶ οὔτε αὐτὸν πράγματα ἔχειν οὔτε ἄλλῳ παρέχειν.*

Hominibus neque quicquam boni afferunt neque mali, nil eos curant sed omnino neglegunt; neque magis beneficiis moventur quam iniuriis et ne preces quidem respiciunt.

1) Cf. frgm. 352 (Cicero d. d. n. I 50, 51).

Cf. frgm. 364 (Seneca de benef. IV 19): *Tu denique, Epicure, deum inermem facis, omnia illi tela, omnem detraxisti potentiam et, ne cuiquam metuendus esset, proiecisti illum extra mundum. Hunc igitur intersaeptum ingenti quidem et inexplicabili muro divisumque a contactu et a conspectu mortalium non habes quare verearis. nulla illi nec tribuendi nec nocendi materia est; in medio intervallo huius et alterius caeli desertus sine animali, sine homine, sine re ruinas mundorum supra se circaque se cadentium evitat non exaudiens vota nec nostri curiosus.* [1])

Quibuscum placitis conferamus comicorum poetarum hos locos:

Primum Menandri frgm. 174,[2]) ubi deos hominibus bonum et malum tribuere negatur:

οἴει τοσαύτην τοὺς θεοὺς ἄγειν σχολήν,
ὥστε τὸ κακὸν καὶ τἀγαθὸν καθ' ἡμέραν
νέμειν ἑκάστῳ Σμικρίνη; [3])

quorum versuum originem esse Epicuream nemini potest esse dubium.

Simili modo deos homines nullo modo curare et neque precibus neque sacris posse moveri affirmat Menander frgm. 759 (Kock III pag. 213):

ἔθυον οὐ προσέχουσιν οὐδέν μοι θεοῖς.

Quid? quod hic Menandri versiculus a Plutarcho ipsi Epicuro subicitur, quasi qui ita locutus sit.

Cf. Plut. contra Epic. beat. XXI, 9: ***καί θύων μὲν (Ἐπίκουρος) ὡς μαγείρῳ παρέστηκε τῷ ἱερεῖ σφάττοντι, θύσας δὲ ἄπεισι λέγων τὸ Μενάνδρειον· ἔθυον κτλ.***

Huc apte adiungi arbitror eiusdem fragmentum 245, quo Cybeles cultus irridetur (Kock III pag. 70):

οὐδεὶς δι' ἀνθρώπου θεὸς σῴζει, γύναι,
ἑτέρου τὸν ἕτερον· εἰ γὰρ ἕλκει τὸν θεὸν
τοῖς κυμβάλοις ἄνθρωπος εἰς ὃ βούλεται,
ὁ τοῦτο ποιῶν ἐστι μείζων τοῦ θεοῦ.
ἀλλ' ἔστι τόλμης καὶ βίου ταῦτ' ὄργανα
εὑρημέν' ἀνθρώποις ἀναιδέσιν, Ῥόδη,
εἰς καταγέλωτα τῷ βίῳ πεπλασμένα.

---

1) Cf. frgm. 368 (Luciani Icaromen. 32).

2) Comicorum Atticorum fragmenta ed. Kock III pag. 51.

3) Cf. Leo, Plaut. Forsch. pag. 118.

Iam quod deum hominem per hominem adiuvare negatur ab Epicurea doctrina minime abhorret. Nam etsi primum quidem id tantum dicitur: deum, si homini auxilium ferre velit, hominis auxilio minime indigere, tamen facile eam quoque subaudire possumus sententiam deum omnino homines non adiuvare. Sed hac de re dubitari posse concedo. Ea autem, quae sequuntur, prorsus cum Epicuri dogmate consentiunt. Id enim ipsum, hominem nullo modo, neque precibus, neque sacris, neque mysteriis deos, ut sibi obsequantur, posse commovere, Epicurus docuit, qui quantopere eos hominibus praestantia et beatitudine antecedere voluerit, supra vidimus. Quibus de causis etiam in his versibus doctrinam Epicuream aliquid valuisse statuere non dubito.

Nunc ad Plautum descendamus, apud quem Mercatoris v. 627 intermundiorum mentionem esse factam videmus. Charinus ibi aegre fert, quod Eutychus sodalis amicam quandam non emerit eumque increpat:

Perdidisti me et fidem mecum tuam.

Eutychus se defendit:

Di sciunt culpam meam istanc non esse ullam.

Charinus: Eugae, papae.
Deos absentis testis memoras: qui ego istuc credam tibi?

Di absunt? Nimirum in intermundiis habitant ac, si propter absentiam culpam nescire dicuntur, ne respiciunt quidem res hominum.

De dis homines nil adiuvantibus agitur deinde Bacchidum v. 638, ubi Mnesilochus lamentatur:

Egone ut opem mihi ferre putem posse inopem te?

Pistoclerus amicus respondet:

Tace modo: deus respiciet nos aliquis.

Mnesilochus: Nugae.

Tertium Epicureae de dis doctrinae vestigium invenimus in initio Mercatoris, quae fabula hoc modo incipit:

Charinus: Duas res simul nunc agere decretumst mihi:
Et argumentum et meos amores eloquar.
Non ego item facio, ut alios in comoediis
Vi vidi amoris facere, qui aut nocti aut dii
Aut soli aut lunae miserias narrant suas:
Quos pol ego credo humanas querimonias
Non tanti facere, quid velint quid non velint.
Vobis narrabo potius meas nunc miserias.

Quinam sunt homines, quos quod diem, noctem, solem, lunam aerumnas hominum levare posse confidant, stultos iudicat Charinus, et quanam de causa illisce notionibus tantam vim attribuunt? Quas si omnino aliquid valere credendum est, mentem et rationem habere debent, hoc est di accipiendi sunt; et fuisse inter antiquos philosophos, qui hanc professi sint sententiam, satis notum est. Ut Anaximandrum, Platonem, Aristotelem, ceteros omittam, illis temporibus, quibus nova comoedia, quae vocatur, floruit, Stoici et soli et lunae et terrae et ceteris sideribus non solum rationem mentemque, sed etiam divinam naturam apposuerunt.

Cf. Ciceronis d. d. n. I 39: *Iam vero Chrysippus, qui Stoicorum somniorum vaferrumus habetur interpres, magnam turbam congregat ignotorum deorum, atque ita ignotorum, ut eos ne coniectura quidem informare possimus, cum mens nostra quidvis videatur cogitatione posse depingere: ait enim vim divinam in ratione esse positam et in universae naturae animo atque mente, ipsumque mundum deum dicit esse et eius animi fusionem universam, tum eius ipsius principatum, qui in mente et ratione versetur, communemque rerum naturam universitatemque omnia continentem, tum fatalem normam et necessitatem rerum futurarum, ignem praeterea et eum, quem ante dixi, aethera, tum ea, quae natura fluerent atque manarent, ut et aquam et terram et aera, solem, lunam, sidera universitatemque rerum, qua omnia continerentur, atque etiam homines eos, qui immortalitatem essent consecuti.* [1])

Quam acriter autem hanc doctrinam defenderint Stoici, facillime inde possumus intellegere, quod Cleanthes Aristarchum Samium, qui astronomus terram dupliciter, et circum axem et circum solem se convertere contenderat, *ὡς κινοῦντα τοῦ κόσμου τὴν ἑστίαν* in iudicium vocavit. [2]) Hoc Stoicorum decretum improbat Charinus; quemnam secutus? Epicurum. Is enim non solum divinam naturam sideribus abiudicavit, sed etiam animata ea esse prorsus negavit, ut iis ne minimam quidam vim concedere eum potuisse satis appareat.

1) Cf. Chrysipp. apud Stob. eclog. I 446 et ibidem I 66.
2) Cf. Plut. d. f. i. o. l. 6, 3.

Cf. frgm. 342 (Aetius (Plut.) V 20, 2 pag. 432 D): *Δημόκριτος Ἐπίκουρος τὰ οὐράνια ⟨οὐκ ἀποδέχονται ζῷα εἶναι⟩.*

Et ibidem (Augustinus de civitate dei XVIII 41): *Nonne apud Athenas et Epicurei clarebant adserentes res humanas ad deorum curam non pertinere, et Stoici, qui contraria sentientes eas regi atque muniri diis adiutoribus et tutoribus disputabant? Unde miror, cur Anaxagoras reus factus sit, quia solem dixit esse lapidem ardentem, negans utique deum, cum in eadem civitate gloria floruerit Epicurus vixeritque securus non solum solem vel ullum siderum deum esse non credens, sed nec Iovem nec ullum deorum omnino in mundo habitare contendens, ad quem preces hominum supplicationesque perveniant.*

Statuendum igitur est versibus illis Graecum Mercatoris auctorem, Philemonem[1]) Epicuream secutum pugnare contra Stoicorum diem, noctem, sidera deos iudicantium doctrinam, quam in comoediis saepius fuisse usurpatam hoc ipso loco docemur.

Postremo verba sunt facienda de Casinae v. 345 sq. Olympio et Chalinus servi uterque Casinam uxorem petunt, quorum ille a Lysidamo domino, hic a Cleostrata, illius uxore, adiuvatur. Hoc certamen ut tandem aliquando discernatur, servos sortiri iubet senex.

Quid si sors aliter quam voles evenerit?

quaerit Olympio.

Benedice dis sum fretus, deos sperabimus.

respondet Lysidamus. Tum servus:

Non ego istuc verbum empsim titivillicio:
Nam omnes mortales deis sunt freti: sed tamen
Vidi ego deis fretos saepe multos decipi.

Quibus in versibus quod ad deorum auxilium attinet, hac de re iam satis dictum est, sed etiam aliud respiciendum est. Lysidamus enim di quid hac in re velint et utri faveant sorte se cognoscere posse confidit et, cum ipse dis fretus sit, illos quoque se esse adiuturos sperat. De deorum igitur voluntate cognoscenda, hoc est de divinatione agitur et ea de causa etiam „benedice" adicitur. Nam quis est, quin sciat, quantopere in his rebus verba mali ominis vitanda sint. Hanc divinationem contemnit

1) Cf. Mercat. v. 9.

servus, discipulus Epicuri, qui cum omnino deos quidquam facere negaret, nullo modo hominibus voluntatem eos demonstrare credere poterat.

Cf. frgm. 395 (Diog. L. X 135): *μαντικὴν δ' ἅπασαν ἐν ἄλλοις ἀναιρεῖ, ὡς καί ἐν τῇ μικρᾷ ἐπιτομῇ.*

Et ibidem (Cic. de div. II 40): (*Epicurus*) *circumitione quadam deos tollens recte non dubitat divinationem tollere .... illius enim deus nihil habens nec sui nec alieni negoti non potest hominibus divinationem impertire.*

Deorum metum ut tolleret, deos ipsos e mundo eiecisse Epicurum modo vidimus; sed ad beate vivendum etiam mortis, quod *τὸ φρικωδέστατον τῶν κακῶν* appellabat, metus removendus erat,

> funditus humanum qui vitam turbat ab imo,
> omnia suffundens mortis nigrore neque ullam
> esse voluptatem liquidam puramque relinquit. [1])

Quem ad finem animam mortalem reddidit, [2]) quae cum corpore ita coniuncta, ut nullo modo ab eo possit dirimi neque segregari, fieri non potest, quin illo dissoluto ipsa quoque occidat.

Cf. ep. I 65: *καὶ μὴν καὶ λυομένου τοῦ ὅλου ἀθροίσματος ἡ ψυχὴ διασπείρεται καὶ οὐκέτι ἔχει τὰς αὐτὰς δυνάμεις οὐδὲ κινεῖται, ὥστε οὐδ' αἴσθησιν κέκτηται.*

In morte autem cum anima intereat, post mortem poenis non iam affici potest; quo fit, ut omnia, quae de inferis narrabantur, falsa esse atque ficta existimaret Epicurus.

Cf. frgm. 341 (Senec. ep. 24, 18): *Non sum tam ineptus, ut Epicuream cantilenam hoc loco persequar et dicam vanos esse inferorum metus nec Ixionem rota volvi nec saxum umeris Sisyphi trudi in adversum nec ullius viscera et renasci posse cotidie et carpi.*

Et ibidem (Lactant. div. inst. III 17, 42: *Dicit Epicurus inferorum poenas non esse metuendas, quod animae post mortem occidant nec ulli omnino sint inferi.*

Postremo mortem ipsam, cum morientes etiam sentire desinamus, percipere non possumus sensibus: ergo *ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς.*

---

1) Lucret. III 38.

2) Cf. frgm. 336 (Aetius IV 7, 4 p. 393 D et Lactant. divin. inst. III 17, 32).

Cf. ep. III 124: *Συνέθιζε δὲ ἐν τῷ νομίζειν μηδὲν πρὸς ἡμᾶς εἶναι τὸν θάνατον. ἐπεὶ πᾶν ἀγαθὸν καὶ κακὸν ἐν αἰσθήσει· στέρησις δὲ ἐστὶν αἰσθήσεως ὁ θάνατος. ὅθεν γνῶσις ὀρθὴ τοῦ μηδὲν εἶναι πρὸς ἡμᾶς τὸν θάνατον ἀπολαυστὸν ποιεῖ τὸ τῆς ζωῆς θνητόν, οὐκ ἄπειρον προστιθεῖσα χρόνον ἀλλὰ τὸν τῆς ἀθανασίας ἀφελομένη πόθον. οὐδὲν γάρ ἐστιν ἐν τῷ ζῆν δεινὸν τῷ κατειληφότι γνησίως τὸ μηδὲν ὑπάρχειν ἐν τῷ μὴ ζῆν δεινόν. ὥστε μάταιος ὁ λέγων δεδιέναι τὸν θάνατον οὐχ ὅτι λυπήσει παρών, ἀλλ' ὅτι λυπεῖ μέλλων. ὃ γὰρ παρὸν οὐκ ἐνοχλεῖ, προσδοκώμενον κενῶς λυπεῖ. τὸ φρικωδέστατον οὖν τῶν κακῶν ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς ἐπειδήπερ ὅταν μὲν ἡμεῖς ὦμεν, ὁ θάνατος οὐ πάρεστιν· ὅταν δ' ὁ θάνατος παρῇ, τόθ' ἡμεῖς οὐκ ἐσμέν. οὔτε οὖν πρὸς τοὺς τετελευτηκότας, ἐπειδήπερ περὶ οὓς μὲν οὐκ ἔστιν, οἳ δ' οὐκέτι εἰσίν. Ἀλλ' οἱ πολλοὶ τὸν θάνατον ὁτὲ μὲν ὡς μέγιστον τῶν κακῶν φεύγουσιν, ὁτὲ δὲ ὡς ἀνάπαυσιν τῶν ἐν τῷ ζῆν ⟨κακῶν αἱροῦνται. ὁ δὲ σοφὸς οὔτε παραιτεῖται τὸ ζῆν⟩ οὔτε φοβεῖται τὸ μὴ ζῆν. οὔτε γὰρ αὐτῷ προσίσταται τὸ ζῆν οὔτε δοξάζεται κακὸν εἶναί τι τὸ μὴ ζῆν.*

Idem de morte iudicium Captiv. v. 741 Tyndarus servus facit, quem compedibus vinctum in lapicidinas mitti iubet Hegio:

Cur ego te (Hegione) invito me esse salvom postulem?
Periclum vitae meae tuo stat periculo.
Post mortem in morte nil est quod metuam mali.
Et si pervivo usque ad summam aetatem, tamen
Breve spatiumst perferundi, quae minitas mihi.

Dixerit fortasse quispiam etiam Cynicos eosque secutos Stoicos mortem contempsisse, ut ex horum disciplina hoc dictum fluxisse credi posset. Mortem non esse malum illi quoque philosophi etsi sane iudicaverunt, tamen ad Stoicorum fontem locus Plautinus iam hac de causa minime potest recedere, quod haec secta vitam esse post mortem existimabat, in qua animae malorum poenis, bonorum praemiis afficerentur. Restant Cynici. Sed ne de iis quidem cogitabimus. Iam supra enim vidimus in epistula tertia mortem nil ad nos pertinere perpetuo repetere Epicurum, quas epistulas, ut a discipulis ediscerentur, a magistro scimus esse conscriptas. Omni modo igitur hanc sententiam discipulis inculcare studebat Epicurus. Atque etiam arbitrabatur non nisi

sua doctrina mortis metum posse semoveri et in tanta gloria erat hoc dictum *ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς*, ut a discipulis in numero *κυρίων δοξῶν* reciperetur. Quibus de causis non licet dubitari, quin illis temporibus hoc praeceptum in omnium ore fuerit.

In morte, ut modo vidimus, cum omnia intereant, nec quicquam hominis remaneat, nihil igitur sit, quod post vitam nos adepturos esse dis faventibus sperare possimus, hanc vitam beatam degere omni modo studendum est. Quod ut possit fieri, imprimis, ne nimis „longam spem incohemus" cavendum est, ne propter ea, quae petimus, vitam ipsam perdamus neve mors necopinantibus nobis obrepat. Temporum enim futurorum non sumus domini, praesentia tantum nostra sunt: ergo illa mittamus et ne crastinum quidem diem curemus, his fruamur. Ex multis huius doctrinae testimoniis haec tantum eligam:

Lucret. III 954:

Aufer abhinc lacrimas, balatro, et compesce querellas.
Omnia perfunctus vitai praemia marces:
Sed quia semper aves quod abest, praesentia temnis,
Inperfecta tibi elapsast ingrataque vita,
Et necopinanti mors ad caput adstitit ante
Quam satur ac plenus possis discedere rerum.
Nunc aliena tua tamen aetate omnia mitte
Aequo animoque, agedum, gnatis concede: necessest.

Frgm. 204 (Epicurus ap. Stob. flor. XVI 28): *γεγόναμεν ἅπαξ, δὶς δὲ οὐκ ἔστι γενέσθαι· δεῖ δὲ τὸν αἰῶνα μηκέτ' εἶναι. σὺ δὲ τῆς αὔριον οὐκ ὢν κύριος ἀναβάλλῃ τὸν καιρόν. ὁ δὲ πάντων βίος μελλησμῷ παραπόλλυται καὶ διὰ τοῦτο ἕκαστος ἡμῶν ἀσχολούμενος ἀποθνήσκει.*

Mirum esset, nisi tale quid apud comicos poetas inveniretur. Sed iam Philetaerus hominem dicit nihil sapientius facere posse, quam vita cotidie suavissime frui.

Cf. frgm. 7 (Kock II pag. 232):

τί δεῖ γὰρ ὄντα θνητόν, ἱκετεύω, ποιεῖν,
πλὴν ἡδέως ζῆν τὸν βίον καθ' ἡμέραν,
ἐὰν ἔχῃ τις ὁπόθεν; ἀλλὰ δεῖ σκοπεῖν
τοῦτ' αὐτό, τἀνθρώπει' ὁρῶντα πράγματα,
εἰς αὔριον δὲ μηδὲ φροντίζειν ὅ τι
ἔσται· περίεργόν ἐστιν ἀποκεῖσθαι πάνυ
ἕωλον ἔνδον ἀργύριον.

Quos versus perlegenti quis est, cui non statim praeclarum illud Horati Epicurei in mentem venit: „quid sit futurum cras fuge quaerere,“ quod adeo cum comici versibus consentit ut ex eodem fonte utrumque fluxisse luce sit clarius. Sed non modo hoc *ἡδέως ζῆν καθ' ἡμέραν, εἰς αὔριον δὲ μηδὲ φροντίζειν ὅ τι ἔσται* Epicureum praeceptum est, sed etiam id, quod divitias converrere vetamur, ad eum nos delegat, qua de re alibi plura verba mihi facienda sunt. [1]) Hoc loco obiter eam commemorare sufficit, ut refellam, si quis Aristippum esse fontem fragmenti contendere velit. Aristippus enim divitiis maximum attribuit momentum. Sed etiam hac de re postea. [2]) Philetaerus autem etsi mediae, quae fertur, comoediae adnumeratur, tamen usque ad novae tempora vixit et ab Epicuro discere potuit.

Cum initio Lucreti versuum, quos exscripsimus, bene consentit Menandri frgm. 410 (Kock III pag. 120):

ἀεὶ τὸ λυποῦν ἀποδίωκε τοῦ βίου·
μικρόν τι τὸ βίου καὶ στενὸν ζῶμεν χρόνον.

Eadem enim admonitio, quam apud Lucretium legimus, propter vitae brevitatem ne luctu nos excruciemus, in hoc fragmento nobis occurrit, quod ad Epicureum fontem ea de causa referendum est.

Requirentibus autem similia Plautus quoque nonnullis locis offert. Componas primum Bacchid. v. 1192 sq. Bacchides meretrices duo senes, Philoxenum et Nicobulum, pellicere conatae illi quidem facile persuadent, hic initio resistit, tum paene iam obsequitur:

Caput prurit: perii. vix negito.
Tum sorores: Non tibi venit in mentem, amabo,
Si dum vivas tibi bene facias, tam pol id quidem esse haud perlonginquom.
Neque si hoc hodie amiseris, post in morte id eventurum esse umquam?

Adde Pseudoli v. 682 sq. Pseudolus multum iam philosophatus finem facit:

Stulti hauscimus frustra ut simus, quom quid cupienter dari
Petimus nobis: quasi quid in rem sit possimus noscere.
Certa mittimus, dum incerta petimus. atque hoc evenit
In labore atque in dolore, ut mors obrepat interim.

---

1) Cf. pag. 39 sq.
2) Cf. pag. 73.

Quod nihil est aliud atque illud:

> Sed quia semper aves quod abest, praesentia temnis,
> Inperfecta tibi elapsast ingrataque vita
> et necopinanti mors ad caput adstitit.

Denique etiam ex Terenti fabulis eiusdem sententiae exemplum adiciam. Heautontimorumeni v. 345 Clitiphonti exclamanti:

> „Quid ago nunc?"

Clinia suadet:

> Tune? quod boni . . . .
> Datur, fruare dum licet; nam nescias
> . . . .
> Eius sit potestas posthac an numquam tibi.

Cui adsentit Clitipho:

> Verum hercle istuc est.

Hic locus idoneus mihi videtur, quo de Captiv. v. 284 agam. Oraculo enim, quod modo tractavimus, id monet Epicurus, ut praesenti tempore ita fruamur, quasi dies hodiernus ultimus sit, neque usque ad crastinum vivere nobis liceat, quippe quod scire nullo modo possimus.

Cf. frgm. 490 (Horat. ep. I 4, 13):

> Omnem crede diem tibi diluxisse supremum,
> Grata superveniet, quae non sperabitur, hora.

Huiusmodi in vitae rationem iocatur Philocrates Captiv. v. 284, qui, cum Hegio, num pater vivat, interroget, respondet:

> Vivom, quom inde abimus, liquimus,
> Nunc vivatne necne, id Orcum scire oportet scilicet.[1])

Iam ex his, quae attulimus, fruendi praeceptis Epicurum voluptatem (ἡδονήν) finem vitae statuisse concludere possumus, et τὴν ἡδονὴν ἀρχὴν καὶ τέλος λέγομεν εἶναι τοῦ μακαρίως ζῆν ipse dicit ep. III 128. Unaquaeque autem voluptas naturae convenit et ea de causa per se bonum est sive hinc sive illinc arcessitur: ταύτην γὰρ, pergit loco, quem modo tetigimus, ἀγαθὸν πρῶτον καὶ συγγενικὸν ἔγνωμεν, et κ. δ. VIII legimus: οὐδεμία ἡδονὴ καθ' ἑαυτὸ κακόν, quod idem ep. III 129: πᾶσα οὖν ἡδονὴ διὰ τὸ φύσιν ἔχειν οἰκείαν ἀγαθόν. Sed comici poetae ipsi hac in re testimonia nobis praebent, quae ne nomine quidem Epicuri carent.

1) Cf. Leo, Plaut. Forsch. pag. 116.

Primum Batonis inspicias frgm. 5 (Kock III pag. 328) et mecum perlustres. Quibus in versibus pater paedagogum filii obiurgat, quod alumnum prorsus corrumpat et vitam agere sinat quae antea ab eo aliena fuerit:

ἀπολώλεκας τὸ μειράκιόν μου παραλαβών,
ἀκάθαρτε, καὶ πέπεικας ἐλθεῖν εἰς βίον
ἀλλότριον αὐτοῦ, καὶ πότους ἑωθινοὺς
πίνει διὰ σὲ νῦν, πρότερον οὐκ εἰθισμένος.

Paedagogus autem se defendere incipit:

εἶτ', εἰ μεμάθηκε, δέσποτα, ζῆν, ἐγκαλεῖς;

et, cum dominus quaesiverit: ζῆν δ' ἐστὶ τὸ τοιοῦθ'; Epicurum auxilio sibi arcessit:

ὥς λέγουσι γ' οἱ σοφοί.
ὁ γοῦν Ἐπίκουρός φησιν εἶναι τἀγαθὸν
τὴν ἡδονὴν δήπουθεν.

Ecce illa, quam supra exponere conati sumus, doctrina: vitae finem, propter quem vivamus, esse voluptatem eamque semper bonum neque interesse, unde peteretur. Statim autem poeta hanc doctrinam ita finire studet, ut eum solum suaviter vivere posse affirmet, qui simul etiam παγκάλως, hoc est honeste vivat:

οὐκ ἔστιν δ' ἔχειν
ταύτην ἑτέρωθεν, ἐκ δὲ τοῦ ζῆν παγκάλως
ἴσως ἅπαντας εὐτυχεῖν δώσεις ἐμοί.

Hac quoque in re Epicurum sequitur poeta, qui prorsus eadem profitetur: non posse iucunde vivi, nisi prudenter et honeste et iuste vivatur, neque prudenter et honeste et iuste, nisi iucunde.

Cf. κ. δ. V (Diog. L. X 140): ***οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν ἄνευ τοῦ φρονίμως καὶ καλῶς καὶ δικαίως ⟨οὐδὲ φρονίμως καὶ καλῶς καὶ δικαίως⟩ ἄνευ τοῦ ἡδέως. ὅτῳ δ' ἓν τούτων μὴ ὑπάρχει, οἷον ζῆν φρονίμως, καὶ καλῶς καὶ δικαίως ὑπάρχει, οὐκ ἔστι τοῦτον ἡδέως ζῆν.***

Versus fragmenti, qui sequuntur, nihil ad nos pertinent, ut ad eiusdem poetae fragmentum 3 (Kock III pag. 327) procedere possimus, ubi eandem doctrinam paulo quidem obtectam attamen satis perspicuam invenimus:

ἐξὸν γυναῖκ' ἔχοντα κατακεῖσθαι καλὴν
καὶ Λεσβίου χυτρίδε λαμβάνειν δύο·
ὁ φρόνιμος οὗτός ἐστι, τοῦτο τἀγαθόν. [1]).

1) Kaibeli coniecturam sequor.

Ἐπίκουρος ἔλεγε ταῦθ', ἃ νῦν ἐγὼ λέγω.
εἰ τοῦτον ἔζων πάντες, ὃν ἐγὼ ζῶ βίον,
οὔτ' ἄτοπος ἦν ἂν οὔτε μοιχὸς οὐδὲ εἷς.

His omnibus Epicuri exprimi sententiam e versu 4, cuius ***ταῦτα*** et ad ea, quae antecedunt, et ad ea, quae sequuntur, pertinet, satis apparet. Quid autem his versibus admonet Epicurus? Sensus hic videtur esse: qui mulierem pulchram amplecti potest et duo Lesbici vini pocula sibi emere, is sapiens est, id vero est bonum. Haec Epicurus dixit, quae ego nunc dico. Si hanc vitam omnes viverent, quam ego vivo, neque stultus quisquam esset neque adulter, ne unus quidem. Is igitur, qui amore et vino, hoc est qui voluptate fruitur, sapiens est, voluptas autem ipsa bonum praedicatur atque vitae finis. Versu deinde 5, quem bene in hunc modum interpretatur Kockius: *si meo consilio uterentur omnes, laeti et contenti essent iis, quae homini permissae sunt, voluptatibus*, iterum, ut cupiditates finiamus,[1] praecipitur.

Porro Hegesippi afferendum est frgm. 2 (Kock III pag. 314):

Ἐπίκουρος ὁ σοφὸς ἀξιώσαντός τινος
εἰπεῖν πρὸς αὐτὸν ὅ τι ποτ' ἐστὶ τἀγαθόν,
ὃ διὰ τέλους ζητοῦσιν, εἶπεν ἡδονήν.
εὖ γ' ὦ κράτιστ' ἄνθρωπε καὶ σοφώτατε·
τοῦ γὰρ μασᾶσθαι κρεῖττον οὐκ ἔστ' οὐδὲ ἓν
ἀγαθόν· πρόσεστιν ἡδονῇ γὰρ τἀγαθόν.

Quid opus est verbis? Eandem doctrinam sed in iocosam partem tractam videmus.

Iam vero sequatur Damoxeni frgm. 2 (Kock III pag. 349), cuius versuum ordinem in codice Athenaei, apud quem fragmentum traditum est, misere perturbatum statim restitutum exscribo:[2])

Ἐπικούρου δέ με
ὁρᾷς μαθητὴν ὄντα τοῦ σοφοῦ, παρ' ᾧ
ἐν δυ' ἔτεσιν καὶ μησὶν οὐχ ὅλοις δέκα
τάλαντ' ἐγώ σοι κατεπύκνωσα τέτταρα.
B τοῦτο δὲ τί ἐστιν; εἰπέ μοι. A καθήγισα.
Ἐπίκουρος οὕτω κατεπύκνου τὴν ἡδονήν,
ἐμασᾶτ' ἐπιμελῶς, εἶδε τἀγαθὸν μόνος
ἐκεῖνος οἷόν ἐστιν· οἱ δ' ἐν τῇ στοᾷ

1) Cf. pag. 14.
2) Cf. Kock pag. 353.

ζητοῦσι συνεχῶς οἷόν ἐστ' οὐκ εἰδότες.
οὐκοῦν ὅ γ' οὐκ ἔχουσιν, ἀγνοοῦσι δέ,
οὐδ' ἂν ἑτέρῳ δοίησαν. B οὕτω συνδοκεῖ.
A μάγειρος ἦν κἀκεῖνος, ὦ γῆ καὶ θεοί.
B ποῖος μάγειρος; A ἡ φύσις πάσης τέχνης
ἀρχέγονόν ἐστ'. B ἀρχέγονον, ὦλιτήριε;
A οὐκ ἔστιν οὐδὲν τοῦ πονεῖν σοφώτερον,
πᾶν εὐχερές τε πρᾶγμα τοῦ λόγου τριβὴν
ἔχοντι τούτου· πολλὰ γὰρ συμβάλλεται.
διόπερ μάγειρον ὅταν ἴδῃς ἀγράμματον
μὴ Δημόκριτόν τε πάντα διανεγνωκότα,
μᾶλλον δὲ κατέχοντα [καταγέλα ὡς κενοῦ]
καὶ τὸν Ἐπικούρου κανόνα, μινθώσας ἄφες
ὡς ἐκ διατριβῆς κτλ.

Loquitur hoc in fragmento imprimis coquus, qui Epicuri se esse discipulum gloriatur et tam acriter studiis coquinis apud magistrum se dedidit, tam multum didicit, ut intra duo annos et decem fere menses quattuor talenta in fumum dissoluerit vel potius, ut verbum, quo utitur, imitemur, consumpserit. Coquus enim, qui magistri verum se ostendere vult discipulum voce non ita usitata sed ab illo adhibita utitur; nam *καταπυκνοῦν τὴν ἡδονήν*, *condensare et undique perficere notionem voluptatis* [1]) ipsius est Epicuri locutio.

Cf. *κ. δ.* IX (Diog. L. X 142): *εἰ κατεπυκνοῦτο πᾶσα ἡδονὴ καὶ χρόνῳ καὶ περὶ ὅλον τὸ ἄθροισμα ὑπῆρχεν ἢ τὰ κυριώτατα μέρη τῆς φύσεως, οὐκ ἄν ποτε διέφερον ἀλλήλων αἱ ἡδοναί.*

Versibus deinde inde ab 7 usque ad 11 discipulus de magistro idem praedicat, quod Epicurus ipse de se gloriabatur: se solum, quid sit bonum et finis vitae, recte perspexisse, quod bonum voluptatem esse patet. Stoicos autem, pergit coquus, ut etiam adversariae sectae plagam iniciat, bonum quidem et ipsos quaerere, attamen neque ipsos invenisse neque ceteros homines posse docere. Quid? quod versu 21 iterum ad Epicurum delegamur. Totam enim philosophiam in tres partes divisit Epicurus, canonicam, physicam, ethicam; sententiae autem partis canonicae explicatae erant libro, cui inscripsit *περὶ κριτηρίου ἢ κανών.*

1) Cf. Kock pag. 352.

Cf. frgm. 34 (Diog. L. X 30): *διαιρεῖται τοίνυν (ἡ κατ' Ἐπίκουρον φιλοσοφία) εἰς τρία, τό τε κανονικὸν καὶ φυσικὸν καὶ ἠθικόν. τὸ μὲν οὖν κανονικὸν ἐφόδους ἐπὶ τὴν πραγματείαν ἔχει καὶ ἔστιν ἐν ἑνὶ τῷ ἐπιγραφομένῳ κανών.*

Hunc igitur librum, quo de regula et iudicio veritatis disseruit philosophus, v. 21 coquus inter eos enumerat, quos bono coquo perlegendos esse censet.

Denique huc pertinet Apollodori Carystii frgm. 5 (Kock III pag. 281):

ὦ πάντες ἄνθρωποι, τί τὸ ζῆν ἡδέως
παρέντες ἐπιμελεῖσθε τοῦ κακῶς ποιεῖν
πολεμοῦντες ἀλλήλους; πότερα πρὸς τῶν θεῶν
ἐπιστατεῖ τις τοῦ βίου νυνὶ τύχη
ἄγροικος ἡμῶν, οὐδὲ παιδείαν ὅλως
εἰδυῖα, τί τὸ κακόν ποτ' ἢ τί τἀγαθὸν
ἔστ' ἀγνοοῦσα παντελῶς εἰκῇ τέ πως
ἡμᾶς κυλίνδουσ' ὅντιν' ἂν τύχῃ τρόπον;
οἶμαί γε. πῶς γὰρ μᾶλλον ἂν προείλετο
Ἕλλην ἀληθῶς οὖσα λεπομένους ὁρᾶν
αὐτοὺς ὑφ' αὑτῶν καὶ καταπίπτοντας νεκρούς,
ἐξὸν ἱλαροὺς παίζοντας ὑποπεπωκότας
αὐλουμένους σποδεῖν; λέγ' αὐτή, γλυκυτάτη,
ἔλεγχ' ἄγροικον οὖσαν ἡμῶν τὴν τύχην.
. . . .
οὐ τοῦτο τὸ ζῆν ἐστι τὸν καλούμενον
θεῶν ἀληθῶς βίον. ὅσῳ δ' ἡδίονα
τὰ πράγματ' ἐν ταῖς πόλεσιν ἦν ἂν ἢ τὰ νῦν,
εἰ μεταβαλόντες τὸν βίον διήγομεν·
πίνειν Ἀθηναίους ἅπαντας τοὺς μέχρι
ἐτῶν τριάκοντ', ἐξιέναι τοὺς ἱππέας
ἐπὶ κῶμον εἰς Κόρινθον ἡμέρας δέκα,
τοὺς τὴν ῥόφανον πωλοῦντας ἕψειν Μεγαρέων,
εἰς τὸ βαλανεῖον ἀπιέναι τοὺς συμμάχους,
κεραννύναι τὸν οἶνον Εὐβοῆς τρυφὴ
καὶ βίος ἀληθῶς. ἀλλ' ἀπαιδεύτῳ τύχῃ
δουλεύομεν.

Haud paucis in versibus huius fragmenti Epicureae doctrinae vim cognoscimus. Prorsus cum illo consentiens Apollodorus populares, iucunde ut vivant, hortatur v. 1—3 et sicut in fragmento Damoxeni, de quo modo verba fecimus, coquus Stoicos, quid sit bonum, nescire dixit, sic in huius versibus 6 et 7 idem

Fortunae obicitur. Nam *τὸ κακόν* Epicuri esse *ἀλγηδόνα* et *τὸ ἀγαθὸν* eiusdem *ἡδονήν* nemini potest esse dubium. Quod ut eo magis appareat, versum 15 inspiciamus, ubi eandem sententiam legimus, quam iam apud Terentium invenimus et quam ad Epicurum esse referendam supra demonstravimus: 1)

Ego deorum vitam eapropter sempiternam esse arbitror,
Quod voluptates eorum propriae sunt.

Postremo respicias etiam, quam multa vitae oblectamenta a poeta enumerentur, ut *ἱλαροὺς παίζοντας ὑποπεπωκότας αὐλουμένους σποδεῖν* (v. 12—13), *πίνειν* (v. 19), *ἐξιέναι ἐπὶ κῶμον* (v. 20), *ῥόφανον ἕψειν* (v. 23), *εἰς τὸ βαλανεῖον ἀπιέναι* (v. 24), *κεραννύναι τὸν οἶνον* (v. 25).

Restat, ut Menandri fragmentum 611 (Kock III pag. 184) afferam, in quo Epicuri de voluptate doctrinam respicere mihi videtur poeta:

ἅπανθ᾽ ὅσα ζῇ καὶ τὸν ἥλιον βλέπει
τὸν κοινὸν ἡμῖν, δοῦλα ταῦτ᾽ ἐσθ᾽ ἡδονῆς.

Voluptatem satis vidimus ex Epicuri sententia esse finem vitae et omni modo expetendam, dolorem autem eodem modo fugiendum. Sed quamquam unaquaeque voluptas, cum naturae conveniat, per se bonum est, dolor malum, tamen neque omnes voluptates petendae sunt, neque omnes vitandi dolores. Nam ut quam maximam voluptatis et quam minimam doloris copiam assequamur, diligentissime singulas voluptates et dolores inter se perpendere debemus. Sunt enim voluptates, ex quibus, postquam adepti sumus, plus doloris eveniat quam voluptatis; contra multi sunt dolores, quos, si pertulerimus, maiores sequantur voluptates. Quae cum ita sint, accuratissime deliberandum est, utrum ex voluptate, quam petimus, plus evenire possit voluptatis an doloris, et num dolore, quem plerumque vitare studemus, tamen fortasse possit effici voluptas maior. Ea voluptas, qua dolorem assequimur maiorem, vitanda, dolor, qua maiorem voluptatem, eligendus est. Haec omnia qui commentatur, *συμμέτρησιν*, „compensationem,“ quam vocant Epicurei, adhibet atque semper vitam beatam degere potest.

Docet nos de hoc placito Epicurus ipse ep. III 129: *καὶ ἐπεὶ πρῶτον ἀγαθὸν τοῦτο καὶ σύμφυτον, διὰ τοῦτο καὶ ου*

1) Cf. pag. 5.

πᾶσαν ἡδονὴν αἱρούμεθα, ἀλλ' ἔστιν ὅτε πολλὰς ἡδονὰς ὑπερβαίνομεν, ὅταν πλεῖον ἡμῖν τὸ δυσχερὲς ἐκ τούτων ἕπηται· καὶ πολλὰς ἀλγηδόνας ἡδονῶν κρείττους νομίζομεν, ἐπειδὰν μείζων ἡμῖν ἡδονὴ παρακολουθῇ πολὺν χρόνον ὑπομείνασι τὰς ἀλγηδόνας. πᾶσα οὖν ἡδονὴ διὰ τὸ φύσιν ἔχειν οἰκείαν ἀγαθόν, οὐ πᾶσα μέντοι (γ') αἱρετή. καθάπερ καὶ ἀλγηδὼν πᾶσα κακόν, οὐ πᾶσα δὲ ἀεὶ φευκτὴ πεφυκυῖα. τῇ μέντοι συμμετρήσει καὶ συμφερόντων καὶ ἀσυμφόρων βλέψει ταῦτα πάντα κρίνειν καθήκει. χρώμεθα γὰρ τῷ μὲν ἀγαθῷ κατά τινας χρόνους ὡς κακῷ, τῷ δὲ κακῷ τἄμπαλιν ὡς ἀγαθῷ. 1)

Haec compensationis doctrina comicis poetis valde placuit, apud quos nullius Epicurei placiti vestigia saepius invenimus. Iam mediae, quae fertur, comoediae princeps Alexis eam recepit, qui isdem fere temporibus floruit, quibus Epicurus, et fragm. 295 (Kock II pag. 402) monet, ut eam voluptatem fugiamus, quam postea damnum sequitur:

φεῦγ' ἡδονὴν φέρουσαν ὕστερον βλάβην.

Imprimis autem apud Menandrum haud pauca exempla inveniuntur. Primum spectemus frgm. 648 (Kock III pag. 191):

γαμεῖν κεκρικότα δεῖ σε γινώσκειν, ὅτι
ἀγαθὸν μέγ' ἕξεις, ἂν λάβῃς μικρὸν κακόν.

Similem sententiam deinde in frgm. 325 (Kock III pag. 94) legimus, quod idem ad matrimonium pertinet:

πρὸς τὸ πρᾶγμ' ἔχω
κακῶς. Β ἐπαριστερῶς γὰρ αὐτὸ λαμβάνεις·
τὰ δυσχερῆ γὰρ καὶ τὰ λυπήσαντά σε
ὁρᾷς ἐν αὐτῷ τὰ δ' ἀγάθ' οὐκέτι βλέπεις.
εὕροις δ' ἂν οὐδὲν τῶν ἁπάντων, Σιμύλε,
ἀγαθὸν ὅτῳ τι μὴ πρόσεστι καὶ κακον.
γυνὴ πολυτελής ἐστ' ὀχληρόν, οὐδ' ἐᾷ
ζῆν τὸν λαβόνθ' ὡς βούλετ'. ἀλλ' ἔνεστί τι
ἀγαθὸν ἀπ' αὐτῆς, παῖδες· ἐλθόντ' εἰς νόσον
τὸν ἔχοντα ταύτην ἐθεράπευσεν ἐπιμελῶς,
ἀτυχοῦντι συμπαρέμεινεν ἀποθανόντα τε
ἔθαψε, περιέστειλεν οἰκείως· ὅρα
εἰς ταῦθ', ὅταν λυπῇ τι τῶν καθ' ἡμέραν.
οὕτω γὰρ οἴσεις πᾶν τὸ πρᾶγμ'. ἂν δ' ἐκλέγῃ
ἀεὶ τὸ λυποῦν, μηδὲν ἀντιπαρατιθεὶς
τῶν προσδοκωμένων, ὀδυνήσει διὰ τέλους.

---

1) Cf. Cic. de finib. I 48.

Nonnulla incommoda cum uxore divite coniuncta esse hisce in versibus conceditur — uxor enim molesta est neque maritum ita vivere sinit, ut ipse vult — attamen commoda et voluptates matrimonii multo maiora sunt et illa parva mala multo superant; nam liberi gignuntur, vir, si in morbum incidit, ab uxore diligentissime fovetur, si in aerumnas, solacio afficitur, mortuus sepelitur eique iusta solvuntur. Quattuor igitur commodis duo tantum opponuntur incommoda, quae hac de causa aequo animo ferenda sunt.

Huc apte adiungitur frgm. 1084 (Kock III pag. 263):

μὴ οὖν θέλε λυπεῖν σαυτὸν εἰδώς, ὅτι
πολλοῖς τὸ λυποῦν ὕστερον χαρὰν ἄγει
καὶ τὸ κακὸν ἀγαθοῦ γίνεται παραίτιον.

Porro componas Philemonis frgm. 161 (Kock II pag. 525):

πόλλ' ἔστιν ἐν πολλαῖσιν οἰκίαις κακά,
ἃ καλῶς ὅταν ἐνέγκῃς ἀγαθὰ γενήσεται.

Mala igitur propterea suscipienda sunt, ut bona sequantur.

Denique huc pertinet eiusdem frgm. 153 (Kock II pag. 524):

ὡς ἡδέως μοι γέγονε τὰ πρότερον κακά·
εἰ μὴ τότ' ἐπόνουν, νῦν ἂν οὐκ εὐφραινόμην.

Nunc ad fabulas Plautinas transeamus.

In Mercatore Charinus amicam sibi emit, quam patrem celare studet. Sed cum nihilo setius is omnia resciverit, adulescens lamentatur v. 356 sq:

Hocinest amare? arare mavelim quam sic amare.
Iam hinc olim me invitum domo extrusit ab se:
Mercatum ire iussit: ibi hoc malum ego inveni.
Ubi voluptatem aegritudo vincat, quid ibi inest amoeni?

Charinus igitur „compensatione" non ita bene adhibita voluptatem petivit, ex qua num maior aegritudo fortasse possit oriri, secum non reputavit. Epicuri dogma quis est, quin agnoscat?

Ut Charinus in Mercatore, sic in Amphitruone Alcumena non vitavit voluptatem, qua postea maior dolor efficitur. Versibus enim inde ab 633 usque ad 643 secum queritur, quod vir, qui „usurarius" quidem est, brevi postquam advenit iamiam abierit:

Satin parva res est voluptatum in vita atque in aetate agunda,
Praequam quod molestumst? ita quoique comparatumst in aetate hominum:
Ita divis est placitum, voluptatem ut maeror comes consequatur:

Quin incommodi plus malique ilico adsit, boni si optigit quid.
Nam ego id nunc experior domo atque ipsa de me scio, quoi voluptas
Parumper datast, dum viri mei mihi potestas videndi fuit
Noctem unam modo: atque is repente abiit a me hinc ante lucem.
Sola hic mihi nunc videor, quia ille hinc abest, quem ego amo praeter omnes.
Plus aegri ex abitu viri quam ex adventu voluptatis cepi.

Nemo autem magistri de voluptate et dolore recte aestimandis praecepta accuratius observat quam Lysiteles in Trinummo, quo obtemperantior discipulus vix potest cogitari.

Cf. v. 223 sq.

Multas res simitu in meo corde vorso,
Multum in cogitando dolorem indipiscor.
Egomet me coquo et macero et defetigo:
Magister mihi exercitor animus nunc est.
Sed hoc non liquet neque satis cogitatumst,
Utram potius harum mihi artem expetessam,
Utram aetati agundae arbitrer firmiorem:
Amorin med an rei obsequi potius par sit.
Utra in parte plus sit voluptatis vitae
Ad aetatem agundam.

Ecce magnam hanc quaestionem, utram vitae rationem deligat, Lysiteles ea tantum de causa sibi proponit, quod quam maximam voluptatis copiam assequi vult. Quid autem constituit?

De hac re mihi satis hau liquet: nisi hoc sic faciam, opinor,
Ut utramque rem simul exputem, iudex sim reusque ad eam rem.
Ita faciam; ita placet.

Ac nunc de amore philosophatur versibus inde ab 236 usque ad 269 et voluptatem quandam ex eo sine dubio posse hauriri etsi non negat:

Quamquam illud est dulce, esse et bibere (v. 259),

tamen incommoda multo esse maiora intellegit. Videas modo innumerabilia fere, quae investigat, mala:

Numquam amor quemquam nisi cupidum hominem
Postulat se in plagas conicere:
Eos cupit, eos consectatur, subdole ab re consulit:
Blandiloquentulus, harpago, mendax,
Cuppes, avarus, elegans, despoliator,
Latebricolarum hominum corruptor
Blandus inops, celatum indagator.
Nam qui amat quod amat quom extemplo
Saviis sagittatis perculsust,
Ilico res foras labitur, liquitur.

„Da mihi hoc, mel meum, si me amas, si audes."
Ibi ille cuculus: „ocelle mi, fiat:
Et istuc et si amplius vis dari, dabitur."
Ibi illa pendentem ferit: iam amplius orat;
Non satis id est mali, ni amplius etiam,
Quod ecbibit, quod comest, quod facit sumpti.
Nox datur: ducitur familia tota,
Vestiplica, unctor, auri custos, flabelliferae, sandaligerulae,
Cantrices, cistellatrices, nuntii, renuntii,
Raptores panis et peni.
Fit ipse, dum illis comis est, inops amator. (v. 237—255)
Fugit forum, fugat suos cognatos,
Fugat ipsus se ab suo contutu,
Neque eum sibi amicum volunt dici. (v. 261—262)
Qui in amorem praecipitavit,
Peius perit quasi saxo saliat. (v. 265—266)

His omnibus incommodis cum praeter pauca illa commoda, „nox datur" (v. 251) et „esse et bibere" (v. 259) nulla obstent, multo maiorem copiam doloris quam voluptatis se esse assecuturum intellegit Lysiteles et amorem spernendum censet:

Apage te, amor, non places, nil te utor. (v. 257)
Mille modis amor ignorandust
Procul adhibendust atque abstandus. (v. 263—264)
Apage te, Amor, tuas res tibi habeto.
Amor, mihi amicus ne fuas umquam (v. 267—268).

Bene profecto Lysiteles voluptatem vitat, quae maiorem dolorem effectura est, sed idem etiam dolorem suscipit maiorem efficientem voluptatem. Quid enim, si „rei obsequitur?"

Quamquam ibi animo labos grandis capitur. (v. 271),
Certast res ad frugem adplicare animum (v. 270)

hisce de causis:

Boni sibi haec expetunt, rem, fidem, honorem,
Gloriam et gratiam: hoc probis pretiumst.
Eo mihi magis lubet cum probis potius
Quam cum improbis vivere vanidicis. (v. 273—275).

Accedit autem, quod id ipsum „rei obsequi" sapientis esse iudicabant Epicurei.

Cf. frgm. 572 (Diog. L. X 120: *καὶ κτήσεως προνοήσεσθαι καὶ τοῦ μέλλοντος (τὸν σοφὸν Ἐπικούρῳ δοκεῖ)*.

In eadem fabula paulo post Lysiteles a Philtone patre, ut Lesbonici amici sororem uxorem sine dote ducere sibi permittat,

aegre impetravit eique postremo persuasit, ut ipse virginem a fratre postulet. Tum Philto de his nuptiis secum loquitur v. 392:

Non optuma haec sunt neque ut ego aecum censeo,
Verum meliora sunt quam quae deterruma.

His quoque in versibus compensationis exemplum habemus. Nam dolorem nonnumquam perpetimur non solum, ut postea maiorem voluptatem assequamur, sed etiam, id quod adhuc nondum est expositum attamen per se patet, ne in maiorem dolorem incidamus.

Cf. Cic. d. f. I 18: *Idem etiam dolorem saepe perpetiuntur, ne, si id non faciant, incidant in maiorem.*

Statim autem Philto aliud Epicuri profert placitum, de quo antequam disputem, Stichi versum 120 tractare velim, qui cum illo Trinummi loco magnam habet similitudinem, ut illum per hunc interpretari possimus. Antipho ex Pamphila et Panegyri filiabus, utrum virginem melius sit in matrimonium ducere quaerit, an viduam, quarum altera respondet Panegyris:

Quanta mea sapientiast
Ex malis multis malum quod minumumst, id minumest malum.

Epicuri placitum ita auctum videmus, ut malum minimum, quod, ut maius effugiamus, eligendum est, omnino malum non iam nominetur.[1])

Nunc ad Philtonem redeamus, qui v. 394 pergit:

Sed hoc unum consolatur me atque animum meum,
Quia qui nil aliud, nisi quod sibi soli placet,
Consulit advorsum filium, nugas agit:
Miser ex animo fit, factius nilo facit.
Suae senectuti is acriorem hiemem parat,
Quom illam importunam tempestatem conciet.[2])

De versu „suae senectuti is acriorem hiemem parat“ et de voce „tempestatem“ agitur. Epicurei enim summam beatitudinem, quam ut adipiscerentur et sibi servarent, summo opere hominibus studendum esset, statuebant animi tranquillitatem omniaque, quae hanc impedire possunt, exempli gratia deorum metum et mortis similiaque, sicut iam vidimus, semovebant. Quam tran-

---

1) Aliter Leo, Plaut. Forsch. pag. 117.
2) Hunc locum Birtius mihi indicavit.

quillitatem ipsi tum *ἀταραξίαν* vocabant, tum *ἡσυχίαν*, tum *γαλήνην*.[1])

Cf. frgm. 520 (Plut. de virt. et vit. 3 pag. 101[b]): *ποῦ τοίνυν τὸ ἡδὺ τῆς κακίας ἐστίν, εἰ μηδαμοῦ τὸ ἀμέριμνον καὶ τὸ ἄλυπον μηδ' αὐτάρκεια μηδ' ἀταραξία μηδ' ἡσυχία; ταῖς μὲν γὰρ τῆς σαρκὸς ἡδοναῖς ἡ τοῦ σώματος εὐκρασία καὶ ὑγίεια χώραν δίδωσι· τῇ δὲ ψυχῇ οὐκ ἔστιν ἐγγενέσθαι γῆθος οὐδὲ χαρὰν βέβαιον, ἂν μὴ τὸ εὔθυμον καὶ ἄφοβον καὶ θαρραλέον ὥσπερ ἕδραν ἢ γαλήνην ἄκλυστον ὑποβάληται, ἀλλὰ κἂν ὑπομειδιάσῃ τις ἐλπὶς ἢ τέρψις, αὕτη ταχὺ φροντίδος ἐκραγείσης ὥσπερ ἐν εὐδίᾳ σπιλάδος συνεχύθη καὶ συνεταράχθη.*

Etiam alibi animi tranquillitas cum maris componitur.

Cf. frgm. 426 (Cic. Tusc. disp. V. 16): *Ut maris igitur tranquillitas intellegitur nulla ne minima quidem aura fluctus commovente, sic animi quietus et placatus status cernitur, cum perturbatio nulla est, qua moveri queat.*

Quam Epicuream *γαλήνην* Philto quoque sibi servare studet; itaque hiemem tempestatemque, quae maris tranquillitatem perturbant, removet. Quid? quod etiam „hiems" et „tempestas animi" ipsius Epicuri locutio est.

Cf. ep. III 128: *ὅταν δὲ ἅπαξ τοῦτο περὶ ἡμᾶς γένηται, λύεται πᾶς ὁ τῆς ψυχῆς χειμών ....*

Et haec quidem de tranquillitate animi per excursum dicta sint; iamiam „compensationis" vestigia investigare pergamus et, num Leonida et Libanus servi, qui in Asinaria fabula sunt, Epicuri existimandi sint discipuli, quaeramus. Quorum domino, ne amicam amittet, opus est pecunia eamque servi, quamvis difficile sit, cum dominum sperent sibi gratias habiturum esse aeternas, parare student.

Cf. v. 307 sq.:

Verbivelitationem fieri compendi volo:
Quid istud negotist?

quaerit ex conservo Libanus, qui, quid ille velit, adhuc nescit.

Le: Certumst credere? **Li**: Audacter licet.
Le: Sis amanti subvenire familiari filio,
Tantum adest boni inproviso, verum commixtum malo:

1) Cf. *γαληνιᾶν* frgm. 425 et *γαληνίζειν* frgm. 429.

Omnes de nobis carnuficum concelebrabuntur dies.
Libane, nunc audacia usust nobis inventa et dolis.
Tantum facinus modo inveni ego, ut nos dicamur duo
Omnium dignissumi esse quo cruciatus confluant.
Li: Ergo mirabar, quod dudum scapulae gestibant mihi,
Hariolari quae occeperunt sibi esse in mundo malum,
Quidquid est, eloquere. **Le**: Magnast praeda cum magno malo.
Li: Si quidem omnes coniurati cruciamenta conferant,
Habeo opinor familiarem tergum, ne quaeram foris.
Le: Si istam firmitudinem animi optines, salvi sumus.
Li: Quin si tergo res solvendast, rapere cupio publicum:
Pernegabo atque obdurabo, periurabo denique.
Le: Em ista virtus est, quando usust, qui malum fert fortiter.
Fortiter malum qui patitur, idem post potitur bonum.
Li: Quin rem actutum edisseris? cupio malum nanciscier.

Magnos quidem dolores esse sustinendos, antequam bona, quae optant, manumissionem, praemia vel similia assequantur, servi quamquam bene sciunt, tamen illa commoda tam magna, tam praeclara iis videntur, ut incommoda, quae suscipienda sunt multo superent. Quin etiam virtutem mali fortiter perferendi propterea tantummodo exercent, quod postea emolumentis se esse potituros habent persuasum, hoc est utilitatis causa, qua in re iterum Epicureae doctrinae vim cognoscimus, qui nullam virtutem nisi eadem de causa exercebat.

Cf. frgm. 504 (Diog. L. X 138): *διὰ δὲ τὴν ἡδονὴν καὶ τὰς ἀρετὰς αἱρεῖσθαι, οὐ δι' αὑτάς, ὥσπερ τὴν ἰατρικὴν διὰ τὴν ὑγίειαν, καθά φησι καὶ Διογένης ἐν τῇ $\overline{\kappa}$ τῶν Ἐπιλέκτων.*

Et ibidem (Seneca dial. VII ad Gallionem de vita beata 9, 1): *Sed tu quoque, inquit (Epicurus) virtutem non ob aliud colis quam quia aliquam ex illa speras voluptatem.*

Idem autem patet etiam de fortitudine valere.

Cf. frgm. 516 (Origenes contra Celsum V 47 p. 270 (Hoesch): *οὕτω δὲ καὶ ἄλλη μὲν ἡ Ἐπικούρου ἀνδρεία ὑπομένοντος πόνους διὰ φυγὴν πόνων πλειόνων, ἄλλη δ' ἡ τοῦ ἀπὸ τῆς στοᾶς δι' αὐτὴν αἱρουμένου πᾶσαν ἀρετήν κτλ.*

Accedit vero etiam hoc, quo Epicuream illis in versibus nobis praeberi doctrinam magis apparet. v. 320 firmitudinem animi commemoratam videmus, quam ab Epicuro esse postulatam e fragmento 397 intellegimus (Cic. d. f. I 40): ***Extremum***

autem esse bonorum voluptatem ex hoc facillime perspici potest. constituamus aliquem magnis multis perpetuis fruentem et animo et corpore voluptatibus, nullo dolore nec inpediente nec inpendente, quem tandem hoc statu praestabiliorem aut magis expetendum possimus dicere? inesse enim necesse est in eo, qui ita sit affectus, et firmitatem animi nec mortem nec dolorem timentis, quod mors sensu careat, dolor in longinquitate levis, in gravitate brevis soleat esse, ut eius magnitudinem celeritas, diuturnitatem allevatio consoletur.

Satis notum est dictum illud, quo tanta animi firmitas ostenditur, ut ne a Stoicis quidem possit superari: sapientem etiam in Phalaridis tauro perustum exclamaturum esse dulce esse et ad se nihil pertinere [1]). Eadem fere et vix minore audacia servi utuntur.

Iam vero sequantur Mercatoris versus inde ab 144 usque ad 148. Acantioni multo currendo adeo fatigato, ut „ruperit ramites, iam dudum sputet sanguinem," Charinus dominus consilium dat, ut „resinam ex melle Aegyptiam voret;" sed servo hoc minime placet neque salutem sibi optat, quae cum doloribus coniuncta sit:

Ch: Sin saluti quod tibi esse censes id consuadeo?
Ac: Apage istiusmodi salutem cum cruciatu quae advenit.
Ch: Dic mihi, an boni quid usquamst, quod quisquam uti possiet
Sine malo omni aut ne laborem capias, quom illo uti voles?
Ac: Nescio ego istaec: philosophari numquam didici neque scio.
Ego bonum malum quo accedit, mihi dari haud desidero.

Utramque partem compensationis hoc loco obiter quidem attamen satis dilucide videmus significatam. Charinus enim libenter nonnumquam labores suscepturus est, dummodo bonum aliquid adipiscatur, servus autem bonum spernere mavult, ne in dolores incidat. [2])

Porro ad eandem de voluptate doctrinam Eutychi verba referam, qui in fine Mercatoris v. 1021 spectatores admonet:

Neu quisquam posthac prohibeto adulescentem filium
Quin amet et scortum ducat, quod bono fiat modo.
Siquis prohibuerit, plus perdet clam quasi praehibuerit palam

---

1) Cf. frgm. 601 (Seneca ep. 66, 18. Lactant. div. inst. III 17, 42).
2) Aliter Leo, Plaut. Forsch. pag. 117.

et Mercurii Amphitruonis v. 995:

Amat (Iuppiter): sapit: recte facit, animo quando obsequitur suo.
Quod omnis homines facere oportet, dum id modo fiat bono.

Nam id ipsum, quod fruendi praeceptis temperatur adiectis illis „dum id modo fiat bono“ Epicureum est.

Fortasse etiam Poenuli v. 286—87 huc pertinent:

Non enim potis est quaestus fieri, nisi sumptus sequitur, scio:
Et tamen quaestus non consistet, si eum sumptus superat, soror.

Quamquam enim non de voluptate et dolore sed de quaestu et sumptu agitur, tamen inter hos versus et Epicuream compensationem similitudinem quandam esse negari non potest. Nam quod dicitur sine sumptu quaestus fieri non posse, id nihil aliud est ac quod Epicurus dicit nonnumquam sine dolore voluptatem non posse impetrari et quod sumptum vitare iubemur, qui quaestum superat, id idem est ac quod, dolorem ut vitemus, ille admonet, quem non maior sequitur voluptas.

Haec sunt huius doctrinae, quae in fabulis Plautinis investigavimus, vestigia; iam Terenti comoedias pervestigantibus ad ea, quae congessimus, non pauca accedent compensationis exempla. Inter optima, quae omnino exstant, Andriae versus inde ab 546 usque ad 549 numerare non dubito. Quibus in versibus agitur de Simonis et Chremetis liberorum nuptiis, quae iam dudum quidem ab hoc permissae sunt, sed eo invito nimis repente a Simone instituuntur. Tamen Chremetem, qui primo de hac audacia non leviter iratus est, facile ille mulcet.

Ah, ne me obsecra, inquit Chremes:
Quasi hoc te orando a me impetrare oporteat.
Alium esse censes nunc me atque olim quom dabam?
Si in remst utrique ut fiant, accersi iube;
Sed si ex ea re plus malist quam commodi
Utrique, id ego te oro in commune ut consulas,
Quasi illa tua sit Pamphilique ego sim pater.

De isdem Pamphilo eiusque amica paulo post v. 716 huius ancilla exclamat:

Nilne esse proprium quoiquam! di vostram fidem!
Summum bonum esse erae putavi hunc Pamphilum,
Amicum, amatorem, virum in quovis loco
Paratum; verum ex eo nunc misera quem capit
Laborem! facile hic plus malist quam illic boni.

Denique, ut huius partis finem faciamus, conferamus Heautontimorumeni versus 745 sq. Servus meretricem ex Chremetis domo abducere iubetur et

Quam ob rem? quaerit.

Ne quaeras, respondet alter servus: ecferant quae secum huc attulerunt.

Sperabit sumptum sibi senex levatum esse harunc abitu:
Ne ille haud scit, hoc paulum lucri quantum ei damnum adportet.

Omnes hi Terentiani loci, quos attuli, per se plani sunt neque habeo, quae addam.

Huc inseram praeceptum Epicuri, quod omnium clarissimum fortasse existimandum est et aliqua quidem ex parte cum voluptatis doctrina cohaeret: *λάθε βιώσας.* Munera enim rei publicae cum homines prohibeant, quominus ad sapientiam et beatitudinem perveniant, omnino ne ad rem publicam accedamus, nobis suadetur: multo esse melius in molli dulcique otio sine curis et aerumnis vitam degere.

Cf. frgm. 552 (Plutarchus vit. Pyrri 20): *πολιτείαν δὲ φεύγοντες ὡς βλάβην καὶ σύγχυσιν τοῦ μακαρίου.*

Et frgm. 551 (Plutarchus): *εἰ καλῶς εἴρηται τὸ Λάθε βιώσας;*

Et ibidem (Iulianus imp. ad Themistium p. 478 Pet. 335, 19 Hartl): *τὴν Ἐπικούρειον θαυμάζειν ἀπραγμοσύνην καὶ τοὺς κήπους.*

Et frgm. 8 (Diog. L. X 119): *οὐδὲ πολιτεύσεται (ὁ σοφός), ὡς ἐν τῇ πρώτῃ Περὶ βίων. οὐδὲ τυραννεύσειν.*

Hinc fortasse derivandum est, quod in Menaechm. v. 446 sq. Peniculus parasitus contra contiones disputat, quae homines occupatos occupant:

Plus triginta annis natus sum, quom interea loci
Numquam quicquam facinus feci peius neque scelestius
Quam hodie, quom in contionem mediam me inmersi miser:
Ubi ego dum hieto, Menaechmus se subterduxit mihi
Atque abit ad amicam, credo, neque me voluit ducere.
Qui illum dei omnes perduint, quei primus commentust ...
Contionem habere, qui homines occupatos occupat.
Non ad eam rem otiosos homines decuit delegi,
Qui nisi adsint quom citentur, census capiat ilico?
Adfatimst hominum, in dies qui singulas escas edint,
Quibus negoti nil est, qui essum neque vocantur neque vocant:
Eos oportet contioni dare operam atque comitieis.

Nec aliter inter Graecorum comicos poetas Apollodorus admonet homines, ne negotiis se dedant frgm. 1 (Kock III pag. 288):

ἀπραγμόνως ζῆν ἡδύ. μακάριος βίος
καὶ σεμνός, ἂν ᾖ μεθ' ἑτέρων ἀπραγμόνων
ἐν θηρίοις δὲ καὶ πιθήκοις ὄντα δεῖ
εἶναι πίθηκον· ὢ ταλαιπώρου βίου.

Iam ex illis, quae de compensatione disputavimus, perspicuum fit Epicurum homines ita ad beatitudinem ducere voluisse, ut modum habere in unaquaque voluptate eos iuberet. Quod autem de voluptate idem etiam de omnibus cupiditatibus valet: semper ne quid nimis faciamus, cavendum est. Exempli gratia nimiam iram vitare debemus.

Cf. frgm. 484 (Seneca ep. 18, 14): *Sed iam incipiamus epistulam conplicare. „Prius," inquis, „redde, quod debes." Delegabo te ad Epicurum. ab illo fiet numeratio: immodica ira gignit insaniam. hoc quam verum sit, necesse est scias, cum habueris et servum et inimicum.*

Et ibidem (Horatius epist. I 2, 62):

ira furor brevis est: animum rege.

(Apollonius Stob. flor. XX 49): *τῆς ὀξυθυμίας τὸ ἄνθος μανία.*

Quocum nonne prorsus consentit Philemonis frgm. 184/185 (Kock II pag. 529):

μαινόμεθα πάντες, ὁπόταν ὀργιζώμεθα.
τὸ γὰρ κατασχεῖν ἐστι τὴν ὀργήν πόνος?

Et Bacchid. v. 408 Philoxenus servum admonet:

Heia, Lyde: leniter qui saeviunt, sapiunt magis.

Cupiditatem finiri iubet etiam Palaestrio Militis v. 1214:

Mil: Quid opust verbis? libertatem tibi ego et divitias dabo,
Si impetras. **Pa**: Reddam impetratum. **Mil**: At gestio. **Pa**: At modice decet.
Moderare animo: ne sis cupidus.

Neque immodicus amor vitandus non est.

Cf. frgm. 483 (Hermias in Plat. Phaedrum p. 76): *οἱ μὲν γὰρ ὑπέλαβον ἁπλῶς φαῦλον τὸ ἐρᾶν, ὡς Ἐπίκουρος ὁρισάμενος αὐτὸν (τὸν ἔρωτα) σύντονον ὄρεξιν ἀφροδισίων μετὰ οἴστρου καὶ ἀδημονίας.*[1])

---

1) Cf. Lucret. IV 1057 sqq.

A quo non discrepat, quod Palinurus domino probro dat Curcul. v. 175:

Enimvero nequeo durare, quin ego erum accusem meum,
Nam bonumst pauxillum amare sane, insane non bonumst:
Verum totum insanum amare hoc est, quod meus erus facit.

Paulo ante animi tranquillitatem commemoravimus, quam Epicurei summo opere impetrare studebant omnia vitantes, quibus animus excruciari posset. His autem in rebus cum alia tum conscientiae angorem esse numerandum non ignorabant, quem omni tempore hominis, qui maleficium commisisset, animum sollicitare existimabant et omnem tranquillitatis spem praecludere, cum, ne ceteri facinus resciscerent, semper periculum esset. Itaque non miramur hanc sectam stimulos conscientiae metuere.

Cf. frgm. 397 (Cic. de finib. I 50): *Quem ad modum temeritas et libido et ignavia semper animum excruciant et semper sollicitant turbulentaeque sunt, sic inprobitas si cuius in mente consedit, hoc ipso quod adest turbulenta est. si vero molita quippiam est, quamvis occulte fecerit, numquam tamen id confidet fore semper occultum. plerumque inproborum facta primo suspicio insequitur, dein sermo atque fama, tum accusator, tum iudex. .... quod si qui satis sibi contra hominum conscientiam saepti esse et muniti videantur, deorum tamen horrent easque ipsas sollicitudines, quibus eorum animi „noctisque diesque“ exeduntur, a dis immortalibus supplici causa inportari putant. quae autem tanta ex inprobis factis ad minuendas vitae molestias accessio potest fieri quanta ad augendas cum conscientia factorum tum poena legum odioque civium? .....* (53) *Itaque non ob ea solum incommoda, quae eveniunt inprobis, fugiendam inprobitatem putamus, sed multo etiam magis, quod cuius in animo versatur, numquam sinit eum respirare, numquam acquiescere.*

Ecce idem peccatorum ex conscientia timor in Mostellaria Tranioni exoritur, qui postquam dominum audacissime fefellit, iam, ne omnia mendacia palam fiant, metu perterritus exclamat v. 543:

Ei, quam timeo miser.
Nil est miserius quam animus hominis conscius,
Sicut me male habet.

Hoc loco, quoniam de improbis factis agimus, alia Epicuri commemoretur sententia, quae insuper aliqua quidem ex parte cum ea, quam modo spectavimus, conexa est. Agitur de homine, qui flagitium fecit, quo modo in rectam viam possit recedere. Prorsus cum christianorum placito consentientes Epicurei statuerunt unicuique, dummodo male se fecisse intellexisset scelerisque eum paeniteret, hoc maleficium ignosci posse; paenitentia autem opus esse, cum aliter homo „corrigi non posset."

Cf. frgm. 522 (Seneca ep. 28, 9): *Tempus est desinere, sed si prius portorium solvero. Initium est salutis notitia peccati. Egregie mihi hoc dixisse videtur Epicurus. Nam qui peccare se nescit, corrigi non volt: deprehendas te oportet, antequam emendas.*

Et ibidem (Horat. ep. I 1, 41):

Virtus est vitium fugere et sapientia prima
stultitia caruisse.

Haud secus in Aulularia fabula Lyconides ab Euclione, cuius filiae vim attulit, veniam impetrare conatur peccati v. 789 sq.

Audi nunciam.
Qui homo culpam admisit in se, nullust tam parvi preti,
Quom pudeat, quin purget sese: nunc te obtestor, Euclio,
Ut, siquid ego erga te inprudens peccavi aut gnatam tuam,
Ut mihi ignoscas eamque uxorem mihi des, ut leges iubent:
Ego me iniuriam fecisse filiae fateor tuae
Cereris vigiliis per vinum atque inpulsu adulescentiae.

Quem locum quoniam ab Epicuri doctrina originem ducere intelleximus, eo maiore audacia alium ei tribuere audemus, quamquam ex Epicureorum scriptis testimonia afferri non possunt et id unum argumentum adest, quod apud Stoicum scriptorem prorsus contrariam sententiam invenimus. Trinummi v. 318 Philto filium, qui a malo se semper cavisse gloriatus est neque umquam patri sollicitudinem attulisse sed semper obtemperasse, admonet:

Quid exprobras bene quod fecisti? tibi fecisti, non mihi:
Mihi quidem aetas actast ferme, tua istuc refert maxume.
Is probust, quem paenitet, quam probus sit et frugi bonae:
Qui ipsus se contemnit, in eost indoles industriae:
Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant.

Similitudo huius atque antecedentis loci ea mihi videtur esse,

quod et hic et illic aliquis melior fieri studet et hunc ad finem ab eo postulatur, ut ipse se contemnat. Iam hac igitur comparatione ad Epicureum fontem nos delegari arbitror. Accedit autem, quod apud Senecam Stoicum sententiam legimus, quae his versibus prorsus repugnat.

Cf. Senec. epist. moral. I 9, 22: *Nisi sapienti sua non placent. Omnis stultitia laborat fastidio sui.*

Qui locus quantopere a Trinummi differat, quis est, quin intellegat? In Trinummi loco homini nihil eorum, quae fecit et facit, placet, sapienti Stoico omnia. His de causis illos versus Epicureae doctrinae ascribendos esse censeo.

In fragmento 584 (Cic. Tusc. disp. III 49) legimus de Epicureo sapiente: *Negat (Epicurus) ullam in sapientem vim esse fortunae* et in fragmento 603 (Cic. de finib. V 93): *Isti ipsi, qui voluptate et dolore omnia metiuntur, nonne clamant sapienti plus semper adesse, quod velit quam quod nolit?*

Quocum nonne paene ad verbum consentiunt Trinummi v. 361 sq.? ubi Lystiteles Lesbonicum amicum qui pecuniam suam comedit et in egestatem pervenit, excusare studet:

Ne approbra, pater: multa eveniunt homini, quae volt, quae nevolt,

pater autem obloquitur:

Mentire edepol, gnate, atque id nunc facis haud consuetudine.
Nam sapiens quidem pol ipsus fingit fortunam sibi:
Eo non multa, quae nevolt, eveniunt, nisi fictor malust.

Idem iam Philemon profert frgm 150 (Kock II pag. 523):

ὅσα διὰ τοὺς πράττοντας αὐτοὺς γίνεται,
οὐδενὶ πρόσεστιν οὐδὲ κοινωνεῖ τύχη.

Nam „in iis, quae homines suis consiliis viribusque perficiant, fortunae partes esse negat poeta,“ 1) et ***οἱ πράττοντες αὐτοί*** illi ipsi sunt Epicurei sapientes.

Huc pertinet etiam incerti poetae frgm. 118 (Kock III pag. 430):

A τύχην ἀμύνεσθαι; τίνα τρόπον; B φιλοσόφως.
A τὸν Δία δὲ πῶς ὕοντα; τὸν βορέαν δὲ πῶς;
B ζητοῦμεν ἱμάτιον, βαλανεῖον, πῦρ, στέγην·
οὐχ ὑόμενοι καθήμεθ᾽ οὐδὲ κλάομεν.

Epicurus enim fortunam philosophia quasi coercebat, qui frgm. 584 etiam ea locutione utitur, cui illud *τύχην ἀμύνεσθαι* bene

1) Kock l. c.

respondet (Diog. L. X 120): *τύχῃ τε (τὸν σοφὸν Ἐπικούρῳ δοκεῖ) ἀντιτάξεσθαι.*

Porro fortunae divinam esse naturam negabat Epicurus.

Cf. ep. III 134: *τὴν δὲ τύχην οὔτε θεόν, ὡς οἱ πολλοὶ νομίζουσιν* ...

Quod placitum perstrinxisse puto Philemonem frgm. 137 (Kock II pag. 520):

οὐκ ἔστιν ἡμῖν οὐδεμία τύχη θεός,
οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ ταὐτόματον, ὃ γίνεται,
ὡς ἔτυχ' ἑκάστῳ, προσαγορεύεται τύχη.

Quibus in versibus hoc quoque respicias, quod Epicuri sententia omnia sua sponte fiunt.

Cf. frgm. 359 (Hippolytus philosoph. 22, 3 p. 572, 5 Diels): .. *πάντα αὐτοματισμῷ γίνεσθαι.*

Sed iterum ad versus Trinummi revertamur. Postquam pater sapientem ipsum sibi fingere fortunam dixit,

Multa, inquit filius, illi opera opust ficturae, qui se fictorem probum
Vitae agundae esse expetit: sed admodum adulescentulust.

Quod negat Philto:

Non aetate, verum ingenio apiscitur sapientia.
Sapienti aetas condimentum, sapiens aetati cibust. [1])

Ad sapientem fortunam nil pertinere Epicurum docuisse quoniam vidimus, hoc quoque: homines sapientiam non aetate sed ingenio acquirere, illo ex fonte fluxisse conicere fortasse licet. Neque desunt argumenta. Etsi enim non omnes homines idonei sunt qui sapientiam adipiscantur — cf. frgm. 226 (Diog. L. IX 117): *οὐδὲ μὴν ἐκ πάσης σώματος ἕξεως σοφὸν γενέσθαι ἂν οὐδ' ἐν παντὶ ἔθνει (δοκεῖ Ἐπικούρῳ)* — tamen omnes, quorum ingenia sint idonea, sapientes fieri posse iam ex hoc fragmento discimus. Quod ut eo magis credamus, audiamus Lactantium.

Cf. frgm. 227 (Lactant. divin. inst. III 25, 4): *Quid est aliud hominibus negare sapientiam, quam mentibus eorum verum ac divinum lumen auferre? Quod si natura hominis sapientiae capax est, oportuit opifices et rusticos et mulieres et omnes denique, qui humanam formam gerunt, doceri ut sapiant populumque sapientum ex omni lingua et condicione et sexu et*

---

1) Hunc locum comiter mihi indicavit Birtius.

aetate conflari ..... (7) *Senserunt hoc adeo Stoici, qui et servis et mulieribus philosophandum esse dixerunt; Epicurus quoque, qui rudes omnium litterarum ad philosophiam invitat* ..... (8) *Conati quidem illi sunt facere quod veritas exigebat: sed non potuit ultra verba procedi. Primum quia multis artibus opus est ut ad philosophiam possit accedi* ..... (12) *Ob eam caussam Tullius ait abhorrere a multitudine philosophiam. At enim rudes Epicurus accipiet. Quo modo ergo illa, quae de principiis rerum dicuntur, intellegent? Quae perplexa et involuta vix etiam politi homines assecuntur. In rebus igitur obscuritate implicatis et ingeniorum varietate confusis et eloquentium virorum exquisito sermone fucatis quis inperito ac rudi locus est? Denique nullas umquam mulieres philosophari docuerunt praeter unam ex omni memoria Themisten.*

Adde frgm. 117 (Athenaeus XIII p. 588ª): *μακαρίζω σε, ὦ Ἀπελλῆ, ὅτι καθαρὸς πάσης παιδείας ἐπὶ φιλοσοφίαν ὥρμησας.*

Deinde respiciatur Senec. ep. mor. 52, 3: *Quosdam ait Epicurus ad veritatem sine ullius adiutorio exisse, fecisse sibi ipsos viam. hos maxime laudat, quibus ex se inpetus fuit, qui se ipsi protulerunt. quosdam indigere ope aliena, non ituros, si nemo praecesserit, sed bene secuturos.* [1])

Quocum bene consentit quod Epicurus ipse Pythoclem, duodeviginti annorum adulescentem, propter naturam ad sapientiam aptam laudabat.

Cf. frgm. 161 (Plutarchus adv. Coloten 29 pag. 1124ᶜ): *προπέτειαν δὲ καὶ λαμυρίαν ἐμποιεῖ νέοις ὁ περὶ Πυθοκλέους οὔπω γεγονότος ὀκτωκαίδεκα ἔτη γράφων οὐκ εἶναι φύσιν ἐν ὅλῃ τῇ Ἑλλάδι ἀμείνω καὶ τερατικῶς αὐτὸν εὖ ἀπαγγέλλων καὶ πάσχων αὖ τὸ τῶν γυναικῶν, εὐχόμενος ἀνεμέσητα εἶναι πάντα καὶ ἀνεπίφθονα τῆς ὑπερβολῆς τῷ νεανίσκῳ.* [2])

Denique Epicurus ipse iam puer sapiens dicebatur et a matre iis atomis compositus, ut sapiens evaderet.

Cf. frgm. 178 (Plutarchus contra Epicuri beatitudinem 18 pag. 1100ª): *καὶ μὴν ἀπὸ δόξης γίνεσθαι τὰς ἡδονὰς Ἐπί-*

---

1) Cf. Cic. d. f. II 12. Senec. ep. mor. 88, 32.

2) Cf. frgm. 162. 163.

κουρος ὡμολόγει· τί δ᾽ οὐκ ἔμελλεν αὐτὸς οὕτω σπαργῶν περιμανῶς καὶ σφαδάζων πρὸς δόξαν ὥστε ...... γράφειν, ὡς Κωλώτης μὲν αὐτὸν φυσιολογοῦντα προσκυνήσειεν γονάτων ἁψάμενος, Νεοκλῆς δὲ ὁ ἀδελφὸς εὐθὺς ἐκ παίδων ἀποφαίνοιτο μηδένα σοφώτερον Ἐπικούρου γεγονέναι μηδ᾽ εἶναι, ἡ δὲ μήτηρ ἀτόμους ἔσχεν ἐν αὐτῇ τοσαύτας, οἷαι συνελθοῦσαι σοφὸν ἂν ἐγέννησαν;

Quod cum ipse Epicurus teste Plutarcho cum iactantia memoraverit, necesse est eum illud contendisse: non aetate verum ingenio apiscitur sapientia.

Nihil autem ad sapientiam capiendam aetatem valere etiam inde elucet, quod sapientia, simulatque capta est, neque umquam amitti potest,[1] n e q u e a e t a t e a u g e r i.[2]

Dicet quispiam Lactantio teste Stoicos quoque idem fere docuisse. Quod quamquam ita est, tamen nos impedire non potest, quominus ad Epicurum versus Plautinos referamus, quos cum antecedentibus tam arte coniunctos videmus, ut duo fontes statuere absurdum sit.

Iam Graecis poetis comicis haec sententia placuit, ut e Menandri fragmento 639 cognoscimus (Kock III pag. 190):

οὐχ οἱ τρίχες ποιοῦσιν αἱ λευκαὶ φρονεῖν,
ἀλλ᾽ ὁ τρόπος ἐνίων ἐστὶ τῇ φύσει γέρων.

Sequitur, ut de Curculionis v. 23 sq. disceptemus.

Numquid tu, quaerit Palinurus ex domino Phaedromo,
quod te aut genere indignum sit tuo,
Facis aut inceptas facinus facere, Phaedrome?
Num tu pudicae quoipiam insidias locas
Aut quam pudicam esse oportet? Nemini, Phaedromus respondet,
Nec me ille sirit Iuppiter.
Tum Palinurus: Ego item volo:
Ita tuom conferto amare semper, si sapis,
Ne id quod ames, populus si sciat, tibi sit probro.
Semper curato, ne sis intestabilis.
Ph: Quid istud est verbi? **Pa**: Caute ut incedas via:
Quod amas amato testibus praesentibus.

---

1) Cf. Diog. L. X 117.
2) Cf. Diog. L. X 126. 145.

Ph: Quin leno hic habitat. **Pa**: Nemo hinc prohibet nec vetat,
Quin quod palamst venale, si argentumst, emas.
Nemo ire quemquam publica prohibet via.
Dum ne per fundum saeptum facias semitam,
Dum ted abstineas nupta, vidua, virgine,
Iuventute et pueris liberis, ama quidlubet.

Simili modo etiam Epicurus sapientem muliere abstinere iubebat, quacum habere consuetudinem legibus esset vetitum. Cf. frgm. 583 (Diog. L. X 120): *γυναικί τε (δοκεῖ Ἐπικούρῳ) οὐ μιγήσεσθαι τὸν σοφὸν ᾗ οἱ νόμοι ἀπαγορεύουσιν, ὥς φησι Διογένης ἐν τῇ Ἐπιτομῇ τῶν Ἐπικούρου ἠθικῶν δογμάτων.*

Quin etiam sapienti hoc praecepisse philosophum apud Plautum inde possumus cognoscere, quod „si sapis" additur.

Porro ea quoque doctrina Epicuri est sapientem omnia sua causa facere et ad suam referre utilitatem neque quicquam eius interesse, utrum ceteris hominibus usui sit an damno.

Cf. frgm. 581 (Lactant. divin. inst. III 17, 39): *Cum disputat (Epicurus) omnia sapientem sua causa facere, ad utilitatem suam refert omnia, quae agit.*

Et frgm. 523 (Lactant. divin. inst. III 17, 42): *Dicit Epicurus ... nullam esse humanam societatem: sibi quemque consulere.*

Quod placitum apud Plautum Asinariae v. 186 agnoscendum videtur; nam lena, quae amatorem omni modo expilat, hac excusatione utitur:

Vera dico: ad suom quemque hominem quaestum esse aequomst callidum.

Deinde Mercat. v. 1010 Lysimachus ad uxorem iratam introire dubitans antea filium interrogat:

Eutyche, hanc volo prius rem agi, quam meum intro refero pedem.
Eut.: Quid istuc est? **Lys.**: Suam quisque homo rem meminit. responde mihi:
Certon scis non suscensere mihi tuam matrem?

Postremo Truculenti v. 930 Stratophanes miles Phronesium, quae illum spernit et alium amat, increpat:

Qui, malum, bella aut faceta's, quae ames hominem isti modi?

Illa autem respondet:

Venitne in mentem tibi, quod verbum in cavea dixit histrio?
Omnes homines ad suom quaestum calent et fastidiunt.

Nunc vero Epicuri de divitiis opinionem exponam. Voluptatem quam acriter finem vitae statuerit, supra vidimus, attamen cum eam multo magis ad animum referret quam ad

corpus, divitiis non tantum tribuit, quantum a philosopho, qui summum bonum in voluptate ponebat, exspectandum esset. Neque enim ignorabat saepenumero divitias tantum abesse ut homines redderent beatos eorumque tollerent aerumnas, ut multo maiores iis afferrent molestias.

Cf. frgm. 479 (Porphyrius ad Marcellam 28 p. 208, 17 Nauck): *πολλοὶ τοῦ πλούτου τυχόντες οὐ τιν' ἀπαλλαγὴν τῶν κακῶν εὗρον ἀλλὰ μεταβολὴν μειζόνων.*

Et frgm. 480 (Porph. ad Marc. 29 p. 209, 5): *ἐξ ἐργασίας θηριώδους οὐσίας μὲν πλῆθος σωρεύεται, βίος δὲ ταλαίπωρος συνίσταται.*

Itaque in divitiis parandis auream tenebet mediocritatem et egestatem quidem vitare studebat, laetam autem paupertatem optandam esse existimabat: tantum expetendum est, quantum ad vitam degendam necessarium, nihil amplius, quod si habemus nec deest contentus laetusque animus, beati sumus.

Cf. frgm. 475 (Seneca ep. 2, 5): *Hodiernum hoc est quod apud Epicurum nanctus sum: soleo enim et in aliena castra transire non tamquam transfuga sed tamquam explorator. Honesta, inquit, res est laeta paupertas. Illa vero non est paupertas, si laeta est. Non qui parum habet sed qui plus cupit pauper est.*

Nota sunt illa Horatiana frgm. 472 (ep. I 10, 32):

Fuge magna. licet sub paupere tecto
Reges et regum vita praecurrere amicos.

et frgm. 473 (ep. I 2, 46):

Quod satis est cui contingit, nihil amplius optet.

Prorsus eadem monent poetae comici: ac primum eos locos inspiciamus, quibus divitias saepe magnas molestias efficere affirmatur.

Cf. Menandri frgm. 90 (Kock III pag. 28):

πλοῦτος δὲ πολλῶν ἐπικάλυμμ' ἐστὶν κακῶν·

Et eiusdem frgm. 281 (Kock III pag. 79):

ᾤμην ἐγὼ τοὺς πλουσίους, ὦ Φανία,
οἷς μὴ τό δανείζεσθαι πρόσεστιν, οὐ στένειν
τὰς νύκτας οὐδὲ στρεφομένους ἄνω κάτω
οἴμοι λέγειν, ἡδὺν δὲ καὶ πρᾷόν τινα
ὕπνον καθεύδειν [ἀλλὰ τῶν πτωχῶν τινα].
νυνὶ δὲ καὶ τοὺς μακαρίους καλουμένους
ὑμᾶς ὁρῶ πονοῦντας ἡμῖν ἐμφερῆ.

ἆρ' ἐστὶ συγγενές τι λύπη καὶ βίος·
τρυφερῷ βίῳ σύνεστιν, ἐνδόξῳ βίῳ
πάρεστιν, ἀπόρῳ συγκαταγηράσκει βίῳ.

Menandro autem assentitur Philemon frgm. 96 (Kock II p. 508):

νὴ τὸν Δία τὸν μέγιστον ᾤμην, Σωσία,
ἐγὼ πρότερον μὲν τοὺς πένητας ζῆν μόνους
ὀδυνωμένους, τῶν πλουσίων δὲ τὸν βίον
ἱλαρόν τιν' εἶναι καὶ φέρειν εὐθυμίαν·
νυνὶ δὲ διαφέροντα τοῖς καθ' ἡμέραν
δαπανήμασιν δὴ τὸν βίον ὁρῶ μόνον,
λύπας δ' ἔχοντας μείζονας τοὺς μείζονας.

Deinde laetam paupertatem laudatam videmus a Menandro frgm. 588 (Kock III pag. 178):

κρεῖττον γάρ ἐστιν, ἂν σκοπῇ τις κατὰ λόγον,
μὴ πόλλ' ἀηδῶς, ὀλίγα δ' ἡδέως ἔχειν,
πενίαν τ' ἄλυπον μᾶλλον ἢ πλοῦτον πικρόν.

et a Philemone frgm. 92 (Kock II pag. 506):

ἀεὶ τὸ πλουτεῖν συμφορὰς πολλὰς ἔχει
φθόνον τ' ἐπήρειάν τε καὶ μῖσος πολὺ
πράγματά τε πολλὰ κἀνοχλήσεις μυρίας
πράξεις τε πολλὰς συλλογάς τε τοῦ βίου.
ἔπειτα μετὰ ταῦτ' εὐθὺς εὑρέθη θανών,
ἄλλοις καταλείψας εἰς τρυφὴν τὴν οὐσίαν.
ὅθεν πένεσθαι μᾶλλον ἡδέως ἔχω
ἔχειν τε μέτρια κἀμέριμνον ζῆν βίον
καὶ μήτ' ἔχειν κλοῦτόν με μήτε πράγματα·
πᾶς γὰρ πένης ὢν μεγάλα κερδαίναι κακά.

Nunc ad Plautinas fabulas ut transeamus, etiam in iis unus saltem locus exstat, in quo huius Epicurei placiti mentio fit. Captiv. enim v. 324 Hegio divitias damnat:

Non ego omnino lucrum omne esse utile homini existimo:
Scio ego, multos iam lucrum lutulentos homines reddidit.
Est etiam ubi profecto damnum praestet facere quam lucrum.
Odi ego aurum: multa multis saepe suasit perperam.

Quam simplici autem victu ipse usus sit Epicurus, liquido inde apparet, quod aqua et polenta bene vivi posse existimabat.

Cf. ep. III 131: **καὶ μάζα καὶ ὕδωρ τὴν ἀκροτάτην ἀποδίδωσιν ἡδονήν, ἐπειδὰν ἐνδέων τις αὐτὰ προσενέγκηται.**

Et frgm. 466 (Porphyr. de abstin. I 48): **τῶν γὰρ Ἐπικουρείων οἱ πλείους ἀπ' αὐτοῦ τοῦ κορυφαίου ἀρξάμενοι μάζῃ καὶ τοῖς**

ἀκροδρύοις ἀρκούμενοι φαίνονται τά τε συγγράμματα ἐμπεπλήκασι τὸ ὀλιγοδεὲς τῆς φύσεως ἀφηγούμενοι καὶ τὸ ἐκ τῶν λιτῶν καὶ εὐπορίστων ἱκανῶς αὐτῆς τὸ ἀναγκαῖον ἰώμενον παριστάντες ...

Ecce incerti poetae frgm. 127 (Kock III pag. 432) inter eas res, quibus nescio quis caret, etiam Epicuri polenta enumeratur:

ἄπολις, ἄοικος, πατρίδος ἐστερημένος,
οὐκ ὀβολόν, οὐ δραχμὴν ἔχων, οὐκ οἰκέτην,
ἀλλ' οὐδὲ μᾶζαν, ἧς Ἐπίκουρος εὐπορῶν.

Ad Epicuri de divitiis sententiam pertinet etiam eius frgm. 471 (Porphyrius ad Marcellam 27 pag. 208, 2 Nauck): *σπάνιόν γε εὑρεῖν ἄνθρωπον ⟨πένητα⟩ πρὸς τὸ τῆς φύσεως τέλος καὶ πλούσιον πρὸς τὰς κενὰς δόξας· οὐδεὶς γὰρ τῶν ἀφρόνων οἷς ἔχει ἀρκεῖται, μᾶλλον δὲ οἷς οὐκ ἔχει ὀδυνᾶται. ὥσπερ οὖν οἱ πυρέττοντες διὰ κακοήθειαν τῆς νόσου ἀεὶ διψῶσι καὶ τῶν ἐναντιωτάτων ἐπιθυμοῦσιν, οὕτω καὶ οἱ τὴν ψυχὴν κακῶς ἔχοντες διακειμένην πένονται πάντων ἀεὶ καὶ εἰς πολυτρόπους ἐπιθυμίας ὑπὸ λαιμαργίας ἐμπίπτουσιν.*

Idem antitheton, quod hoc in fragmento legitur: *οἷς ἔχει, οἷς οὐκ ἔχει*, occurrit nobis apud Plautum Trinummi v. 351, ubi Philtoni, qui Lysitelis filii amicum adiuvare recusat et hac excusatione utitur:

De magnis divitiis siquid demas, plus fit an minus?

filius respondet:

Minus pater: sed civi inmuni scin quid cantari solet?
„Quod habes ne habeas et illuc quod non habes, habeas, malum,
Quandoquidem nec tibi bene esse pote pati neque alteri". [1])

Deinde ad Epicurum recedunt fortasse etiam Trinummi v. 339 sq:

De mendico male meretur qui ei dat quod edit aut bibat:
Nam et illud quod dat perdit et illi prodit vitam ad miseriam. [2])

Constat enim Epicurum librum scripsisse *περὶ δώρων καὶ χάριτος*.

Cf. Diog. L. X 28 et frgm. 22 (Sextus Emp. adv. math. I 49): *ἐν γοῦν τῷ Περὶ δώρων καὶ χάριτος ἱκανῶς πειρᾶται ...* Quo in libro, etsi fragmenta non exstant, tamen tale quid de mendico praescriptum fuisse eo facilius credimus, quod versus Plautini a Philtone, quem iam saepius hominem vere Epicureum cognovimus, pronuntiantur.

---

1) Hunc locum Birtio debeo.
2) Hunc quoque locum Birtio debeo.

Non eo haec dico, pergit Philto, quin quae tu vis ego velim et faciam lubens:
Sed ego hoc verbum quom illi quoidam dico, praemonstro tibi,
Ut ita te aliorum miserescat, ne tis alios misereat.

Haec quoque admonitio optime cum Epicuri doctrina mihi consentire videtur, quem, quamvis amicis prodesse studeret, [1]) tamen omnia ad suam utilitatem referre solitum esse supra vidimus. [2])

Restat, ut de Alexidis frgm. 23 (Kock II pag. 306) verba faciamus:

τί ταῦτα ληρεῖς, φληναφῶν ἄνω κάτω
Λύκειον, Ἀκαδήμειαν Ὠιδείου πύλας,
λήρους σοφιστῶν; οὐδὲ ἓν τούτων καλόν.
πίνωμεν, ἐμπίνωμεν, ὦ Σίκων, Σίκων,
χαίρωμεν, ἕως ἔνεστι τὴν ψυχὴν τρέφειν.
τύρβαζε, Μάνη. γαστρὸς οὐδὲν ἥδιον·
αὕτη πατήρ σοι καὶ πάλιν μήτηρ μόνη.
ἀρεταὶ δὲ πρεσβεῖαί τε καὶ στρατηγίαι
κόμποι κενοὶ ψοφοῦσιν ἀντ' ὀνειράτων.
ψύξει σε δαίμων τῷ πεπρωμένῳ χρόνῳ.
ἕξεις δ' ὅσ' ἂν φάγῃς τε καὶ πίῃς μόνα,
σποδὸς δὲ τἄλλα, Περικλέης, Κόδρος, Κίμων.

Cuius fragmenti versibus 4—12, quibus servus [3]) aliquis conservum, vita ut fruatur, admonet, Epicuri quin exprimatur sententia, nemini potest esse dubium neque hac de re opus est verba facere; sed primos quoque, quibus philosophis maledicit, ad eundem esse referendos ex Epicuri frgm. 238 cognoscimus, unde magistrum prorsus eodem modo in ceteros philosophos nonnumquam esse invectum discimus.

Cf. frgm. 238 (Diog. L. X 8): ***τούς τε περὶ Πλάτωνα (Ἐπίκουρος ἐκάλει) Διονυσοκόλακας καὶ αὐτὸν Πλάτωνα χρυσοῦν . . . . Ἡράκλειτόν τε κυκητὴν καὶ Δημόκριτον Λημόκριτον καὶ Ἀντίδωρον Σαννίδωρον τούς τε κυνικοὺς ἐχθροὺς τῆς Ἑλλάδος καὶ τοὺς διαλεκτικοὺς πολυφθόρους Πύρρωνα δὲ ἀμαθῆ καὶ ἀπαίδευτον.***

Et haec quidem Epicuri placitorum, quae apud poetas comicos, invenimus, vestigia. Non sine lucro autem esse arbi-

1) Cf. pag. 47.
2) Cf. pag. 39.
3) Cf. Athenaei 8, 336 d. e. Kock II pag. 307.

tror quaerere, quae maxime in fabulis Plautinis et Terentianis personae has Epicureas sententias profiteri soleant. Quas proferunt imprimis adulescentes et servi; loquuntur enim

Adulescentes:

Aulularіae v. 789 (Lyconides)
Bacchidum v. 638 (Mnesilochus)
Captivorum v. 282 (Philocrates)
Mercatoris v. 1, v. 356, v. 627 (Charinus)
v. 1021 (Eutychus)
Trinummi v. 223, v. 351 (Lysiteles)
Andriae v. 959 (Pamphilus)
Heautontimorumeni v. 345 (Clinia)

Servi:

Asinariae v. 307 (Leonida et Libanus)
Captivorum v. 741 (Tyndarus)
Curculionis v. 23, v. 175 (Palinurus)
Mercatoris v. 144 (Acontio)
Militis v. 1214 (Palaestrio)
Mostellariae v. 543 (Tranio)
Pseudoli v. 682 (Pseudolus)

Sequuntur Senes:

Bacchidum v. 408 (Philoxenus)
Captivorum v. 325 (Hegio)
Mercatoris v. 1010 (Lysimachus)
Trinummi v. 320, v. 339, v. 361, v. 363, v. 392, v. 398 (Philto)
Andriae v. 546 (Chremes)

Meretrices:
Bacchidum v. 1193 (Bacchis)
Poenuli v. 286 (Adelphasium)
Truculenti v. 931 (Phronesium)
Mulieres:
Amphitruonis v. 633 (Alcumena)
Stichi v. 120 (Pamphila)
Lena:
Asinariae v. 186 (Cleaereta)
Ancilla:
Andriae v. 716 (Mysis)
Parasitus:
Menaechmorum v. 446 (Peniculus)

Caput alterum.

De Peripateticorum placitorum apud poetas comicos vestigiis.

Nunc altera parte huius disputationis ad Peripateticorum philosophorum placita transeamus. Quae quamquam in comoediis non tam crebra nobis occurrunt quam Epicurea, tamen haud paucis in versibus agnoscenda sunt. Hi autem omnes fere ad amicitiam pertinent. Neque id mirum est. Cetera enim horum philosophorum placita neque ad commune iudicium popularemque intellegentiam accommodata erant, neque ideo apta, quae in fabulis adhiberentur. Ad amicitiam autem quod attinet, non solum in fabulis tragicorum poetarum, quos comici saepius imitati sunt, multum valuerat, sed etiam Aristoteles Ethicorum Nicomacheorum libris VIII et IX primus leges eius constituit. Iam vero Theophrastus, eius discipulus, et librum celeberrimum, qui summo cum studio ab omnibus legebatur[1]), de amicitia conscripsit et cum comicis tam arte coniunctus erat, ut non solum Menandri, illorum principis, magister haberetur et amicus, [2]) sed etiam librum praeclarum, quem χαρακτῆρας inscripsit, comicorum

1) Leo, Plaut. Forsch. pag. 115.
2) Cf. Diog. L. VI 2.

respiciens fabulas in usum rhetorum composuisse dicatur. Quae cum ita sint, verisimile nonne debet videri poetas potius Theophrasti scripta legisse quam Aristotelis, praesertim cum huius libri ita difficiles essent intellectu, ut vix a discipulis possent intellegi, Theophrasti autem esset proprium, ut, quamvis magistri vestigia premeret, tamen nonnulla minus severe et magis ad communem sensum tractaret, et longe svaviore atque faciliore quam Aristoteles scribendi genere uteretur?

Theophrasti liber, qui inscriptus erat *περὶ φιλίας*, temporum duritiam non pertulit, sed restitui potest ex Ciceronis Laelio, qui totus ex eo pendet, et Plutarchi scriptis.[1]) Itaque praecepta, quae apud Ciceronem et Plutarchum leguntur, ex Theophrasti libro fluxisse concludendum est, praesertim si eadem etiam apud Aristotelem inveniuntur. Quod autem ad nostram argumentationem attinet, imprimis Aristotelis scripta respiciemus, quippe quae integra servata sint, sed, quotiens fieri potest, Theophrastus quoque num idem docuerit, quaeremus.

Aristoteles Eth. Nic. VIII 1, 1 disputationem de amicitia hoc modo incipit: *Μετὰ δὲ ταῦτα περὶ φιλίας ἕποιτ᾽ ἂν διελθεῖν. ἔστι γὰρ ἀρετή τις ἢ μετ᾽ ἀρετῆς, ἔτι δ᾽ ἀναγκαιότατον εἰς τὸν βίον. ἄνευ γὰρ φίλων οὐδεὶς ἕλοιτ᾽ ἂν ζῆν, ἔχων τὰ λοιπὰ ἀγαθὰ πάντα.* Quam Peripateticam sententiam Cicero in hunc modum format et exprimit Lael. 22: *Qui potest esse vita vitalis, ut ait Ennius, quae non in amici mutua benivolentia conquiescit.* Unde apparet Peripateticos amicitiae permagnam vim attribuisse eamque summis laudibus efferre solitos esse. Huiusmodi laudes etsi apud comicos quoque poetas invenimus, tamen, ne temere ad Peripateticum fontem referamus, cavendum est, cum etiam Epicurus amicitiam plurimi aestimaverit.

Cf. frgm. 539 (Cic. de finib. II 80): *Ratio ista, quam defendis, praecepta quae didicisti, quae probas, funditus evertunt amicitiam, quamvis eam Epicurus, ut facit, in caelum efferat laudibus.*

Et Diog. L. X 148: *ὧν ἡ σοφία παρασκευάζεται εἰς τὴν τοῦ ὅλου βίου μακαριότητα, πολὺ μέγιστόν ἐστιν ἡ τῆς φιλίας κτῆσις.*

---

1) Cf. Heylbut de Theophrasti libris *περὶ φιλίας*. Bonnae a. 1876.

Itaque non solum ipse multos amicos semper secum habebat, quibuscum concordissime vivebat, [1]) sed etiam, quamvis in ceteris rebus omnia ad suum bonum atque ad suam utilitatem referre soleret, pro amicis maximos suscipiendos esse labores [2]), quin etiam moriendum [3]) censuit. Epicurus igitur in amicitia laudanda Peripateticis non cessit, qua de causa, utro ex fonte loci, qui in comoediis exstant, fluxerint, discernere non audeo. Sunt autem hi:

Menandri frgm. 128 v. 15 - 16 (Kock III pag. 38):

πολλῷ δὲ κρεῖσσόν ἐστιν ἐμφανὴς φίλος
ἢ πλοῦτος ἀφανής, ὃν σὺ κατορύξας ἔχεις.

Eiusdem frgm. 331 (Kock III pag. 112):

οὕτω ποθεινόν ἐστιν ὁμότροπος φίλος.

Et frgm. 554 (Kock III pag. 169):

οὐκ ἐκ πότων καὶ τῆς καθ' ἡμέραν τρυφῆς
ζητοῦμεν ᾧ πιστεύσομεν τὰ τοῦ βίου,
πάτερ; οὐ περιττὸν οἴετ' ἐξευρηκέναι
ἀγαθὸν ἕκαστος, ἂν ἔχῃ φίλου σκιάν;

Porro apud Plautum Epidic. v. 423 Periphanes exclamat:

Nil homini amicost opportuno amicius.

Et Bacchid. v. 384 Menesilochus adulescens amicitiam praedicat:

Multimodis meditatus egomet mecum sum et ita esse arbitror:
Homini amico quist amicus ita uti nomen possidet
Nisi deos ei nil praestare: id opera expertus sum esse ita.

Sed quamquam amicitiam ad vitam maxime esse necessariam contendebant Peripatetici, tamen de multitudine amicorum conquirendorum longe aliter iudicabant atque ceterae philosophorum sectae. Epicurus quam plurimos sibi conciliabat amicos [1]) et etiam Stoici *πολυφιλίαν* commendabant.

Cf. Diog. L. VII 124: *δι' αὑτόν θ' αἱρετὸν τὸν φίλον ἀποφαίνονται (οἱ Στωικοί) καὶ τὴν πολυφιλίαν ἀγαθόν.*

Contra Peripateticis pauci sufficiebant amici, qua de re Aristoteles Eth. Nic. IX 10 accuratius disputat: *Ἆρ' οὖν ὡς πλείστους φίλους ποιητέον, ἢ καθάπερ ἐπὶ τῆς ξενίας ἐμμελῶς εἰρῆσθαι δοκεῖ*

μήτε πολύξεινος μήτ' ἄξεινος,

---

1) Cf. Cic. d. f. I 65.
2) Ct. frgm. 546 (Plut. adv. Colot. 8. 7).
3) Cf. frgm. 590 (Diog. L. IX 121).

καὶ ἐπὶ τῆς φιλίας ἁρμόσει μήτ' ἄφιλον εἶναι μήτ' αὖ πολύφιλον καθ' ὑπερβολήν; τοῖς μὲν δὴ πρὸς χρῆσιν καὶ πάνυ δόξειεν ἂν ἁρμόζειν τὸ λεχθέν· πολλοῖς γὰρ ἀνθυπηρετεῖν ἐπίπονον, καὶ οὐχ ἱκανὸς ὁ βίος αὐτοῖς τοῦτο πράττειν. οἱ πλείους δὴ τῶν πρὸς τὸν οἰκεῖον βίον ἱκανῶς περίεργοι καὶ ἐμπόδιοι πρὸς τὸ καλῶς ζῆν· οὐδὲν οὖν ἰδεῖ αὐτῶν. καὶ οἱ πρὸς ἡδονὴν δὲ ἀρκοῦσιν ὀλίγοι, καθάπερ ἐν τῇ τροφῇ τὸ ἥδυσμα. τοὺς δὲ σπουδαίους πότερον πλείστους κατ' ἀριθμόν, ἢ ἔστι τι μέτρον καὶ φιλικοῦ πλήθους, ὥσπερ πόλεως; οὔτε γὰρ ἐκ δέκα ἀνθρώπων γένοιτ' ἂν πόλις, οὔτ' ἐκ δέκα μυριάδων ἔτι πόλις ἐστίν. τὸ δὲ ποσὸν οὐκ ἔστιν ἴσως ἕν τι, ἀλλὰ πᾶν τὸ μεταξὺ τινῶν ὡρισμένων. καὶ φίλων δή ἐστι πλῆθος ὡρισμένον, καὶ ἴσως οἱ πλεῖστοι, μεθ' ὧν ἂν δύναιτό τις συζῆν· τοῦτο γὰρ ἐδόκει φιλικώτατον εἶναι· ὅτι δ' οὐχ οἷόν τε πολλοῖς συζῆν καὶ διανέμειν αὑτόν, οὐκ ἄδηλον. ἔτι δὲ κἀκείνους δεῖ ἀλλήλοις φίλους εἶναι, εἰ μέλλουσι πάντες μετ' ἀλλήλων συνημερεύειν. τοῦτο δ' ἐργῶδες ἐν πολλοῖς ὑπάρχειν. χαλεπὸν δὲ γίνεται καὶ τὸ συγχαίρειν καὶ τὸ συναλγεῖν οἰκείως πολλοῖς· εἰκὸς γὰρ συμπίπτειν ἅμα τῷ μὲν συνήδεσθαι τῷ δὲ συνάχθεσθαι. ἴσως οὖν εὖ ἔχει μὴ ζητεῖν ὡς πολυφιλώτατον εἶναι, ἀλλὰ τοσούτους ὅσοι εἰς τὸ συζῆν ἱκανοί.

Paucos autem amicos eligebant hi philosophi etiam ea de causa, quia veram et perfectam amicitiam amicosque certos rarissime inveniri non ignorabant.

Cf. Eth. Nic. VIII 3, 7: πᾶσα γὰρ φιλία δι' ἀγαθόν ἐστιν ἢ δι' ἡδονήν, ἢ ἁπλῶς ἢ τῷ φιλοῦντι, καὶ καθ' ὁμοιότητά τινα. ταύτῃ δὲ πάνθ' ὑπάρχει τὰ εἰρημένα καθ' αὑτούς. ταύτῃ γὰρ ὅμοιοι καὶ τὰ λοιπά, τό τε ἁπλῶς ἀγαθὸν καὶ ἡδὺ ἁπλῶς ἐστίν. μάλιστα δὲ ταῦτα φιλητά, καὶ τὸ φιλεῖν δὲ καὶ ἡ φιλία ἐν τούτοις μάλιστα καὶ ἀρίστη. σπανίας δ' εἰκὸς τὰς τοιαύτας εἶναι. ὀλίγοι γὰρ οἱ τοιοῦτοι.

Theophrastum quoque hanc protulisse sententiam testis est Hieronymus comment. in Mich. 2, 7 col. 516: *Scripsit Theophrastus tria de amicitia volumina, omni eam praeferens caritati et tamen raram in rebus humanis contestatus est.*

Num eadem doctrina etiam apud comicos invenitur? Invenitur sane. Nam hi quoque paucos amicos conciliandos esse dicunt idque eadem de causa, quod veri amici rarissimi sint.

Conferas Pseudol. v. 390. Pseudolus Calidorum „hominem astutum, doctum, cautum et callidum, qui imperata effecta reddat, non qui vigilans dormiat,“ sibi adducere iubet, cuius auxilio Ballionem lenonem decipere possit. Ei Callidorus opponit:

Pauci ex multis sunt amici, homini qui certi sient.
Ps: Ego scio istuc: ergo utrumque tibi nunc dilectum para
Atque ex multis exquire illis unum qui certus siet.

Porro Trinummi v. 617 Stasimus exclamat:

O ere Charmides, quom apsenti hic tua res distrahitur tibi,
Utinam te redisse salvom videam, ut inimicos tuos
Ulsciscare et mihi, ut erga te fui et sum, referas gratiam.
Nimium difficilest reperiri amicum ita ut nomen cluet,
Quoi tuam quom rem credideris, sine omni cura dormias.

Saepius apud Plautum verus amicus falso opponitur.

Casinae v. 615 Lysidamus postquam amicum vituperavit, quod uxorem ad se non miserit, statim cum ille se eam missurum esse promiserit:

Nunc tu, inquit, mihi amicus es in germanum modum.[1])

Trinummi v. 90 Callicles quattuor amicorum genera distinguit: primum amicos veros, deinde amicos quos existimat, tum amicos, qui amici utrum sint an inimici non potest discernere, postremo amicum certissimum:

Haben tu amicum aut familiarem quempiam,
Quoi pectus sapit? quaerit Megaronides;
Edepol, respondet Callicles, haud dicam dolo:
Sunt quos scio esse amicos, sunt quos suspicor,
Sunt quorum ingenia atque animos nequeo noscere,
Ad amici partem an ad inimici pervenant:
Sed tu ex amicis certis mihi 's certissimus.

Multum de falsis amicis philosophantur Pistoclerus et Mnesilochus Bacchid. v. 540 sq.:

Multi more isto atque exemplo vivont, quos quom censeas
Esse amicos, reperiuntur falsi falsimoniis,
Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide.
Nullus est, quoi non invideant rem secundam optingere.
Mn: Edepol ne tu illorum mores perquam meditate tenes.
Sed etiam unum hoc: ex ingenio malo malum inveniunt suo:
Nulli amici sunt, inimicos ipsi in sese omnis habent.

---

1) Cf. Bacchid. v. 384 (pag. 47).

Atque i se quom frustrant, frustrari alios stolidi existimant.
Sicut est hic, quem esse amicum ratus sum atque ipsus sum mihi:
Ille quod in se fuit accuratum habuit quod posset mali
Faceret in me, inconciliaret copias omnis meas.

Pi: Improbum istunc esse oportet hominem.

Ex Ovidi Tristibus omnes bene novimus sententiam:

Donec eris felix, multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Ne hanc quidem sapientiam frustra apud Peripateticos indagabis.

Cf. Eth. Eud. VII 1, 16: *ἔτι δοκεῖ τοῖς μὲν ῥᾴδιον τὸ κτήσασθαι φίλον, τοῖς δὲ σπανιώτατον γνῶναι, καὶ οὐκ ἐνδέχεσθαι ἄνευ εὐτυχίας. τοῖς γὰρ εὖ πράττουσι βούλονται πάντες δοκεῖν φίλοι εἶναι. οἱ δ᾽ οὐδὲ τοῖς συνδιαμένουσιν ἐν ταῖς ἀτυχίαις ἀξιοῦσι πιστεύειν, ὡς ἐξαπατῶντας καὶ προσποιουμένους, ἵνα κτήσωνται διὰ τῆς τῶν ἀτυχούντων ὁμιλίας πάλιν εὐτυχούντων φιλίαν.*

Idem autem dicit Menander frgm. 691 (Kock III pag. 199):

χρυσὸς μὲν οἶδεν ἐξελέγχεσθαι πυρί,
ἡ δ᾽ ἐν φίλοις εὔνοια καιρῷ κρίνεται.

Et frgm. 692 (Kock III pag. 199):

καιρῷ τὸν εὐτυχοῦντα κολακεύων φίλος
καιροῦ φίλος πέφυκεν, οὐχὶ τοῦ φίλου.

A quibus minime discordant Stichi Plautinae v. 519 sq.

Satin ego tecum pacificatus sum Antipho?

Pamphilippus e socero quaesivit.

Quando ita rem gessistis, inquit hic, ut vos velle amicosque addecet,
Pax commersquest vobis mecum. nam hoc tu facito, ut cogites:
Ut quoique homini res paratast, perinde amicis utitur:
Si res firma, item firmi amici sunt: sin res laxe labat,
Itidem amici conlabascunt: res amicos invenit.

Quibus apte possumus adiungere eiusdem fabulae versus 402—414, ubi Epignomus eandem sententiam profert: divitis hominis omnes amicos esse velle:

Quom bene re gesta salvos convortor domum,
Neptuno grates habeo et tempestatibus:
Simul Mercurio, qui me in mercimoniis
Iuvit lucrisque quadruplicavit rem meam.
Olim quos abiens adfeci aegrimonia,
Eos nunc laetantis faciam adventu meo.
Nam iam Antiphonem conveni adfinem meum

Cumque eo reveni ex inimicitia in gratiam.
Videte, quaeso, quid potest pecunia.
Quoniam bene gesta re redisse me videt
Magnasque adportavisse divitias domum,
Sine advocatis ibidem in cercuro in stega
In amicitiam atque in gratiam convortimus.

Quae cum de vera amicitia iudicaverint Peripatetici, non mirum est, quod ne temere conciliarentur amici monebant. Amicitiam enim cum homine tum demum contrahere nobis licet, cum omnibus ex partibus eius animum perspeximus. Atque hoc discipulis inculcaturus Aristoteles proverbiali locutione adhibita dixit non ante amicitias esse ineundas, quam multi modii salis ab utroque simul comesi sint.

Cf. Eth. Nic. VIII 3, 8: *ἔτι δὲ προσδεῖται χρόνου καὶ συνηθείας. κατὰ τὴν παροιμίαν γὰρ οὐκ ἔστιν εἰδῆσαι ἀλλήλους πρὶν τοὺς λεγομένους ἅλας συναναλῶσαι. οὐδ' ἀποδέξασθαι δὴ πρότερον οὐδ' εἶναι φίλους, πρὶν ἂν ἑκάτερος ἑκατέρῳ φανῇ φιλητὸς καὶ πιστευθῇ. οἱ δὲ ταχέως τὰ φιλικὰ πρὸς ἀλλήλους ποιοῦντες βούλονται μὲν φίλοι εἶναι, οὐκ εἰσὶ δέ, εἰ μὴ καὶ φιλητοί, καὶ τοῦτ' ἴσασιν.*

Quod repetivit Eudemus VII 2, 46: *οὐ γάρ ἐστιν ἄνευ πείρας οὐδὲ μιᾶς ἡμέρας ὁ φίλος, ἀλλὰ χρόνου δεῖ. διὸ εἰς παροιμίαν ἐλήλυθεν ὁ μέδιμνος τῶν ἁλῶν.*

Eodem proverbio Theophrastum quoque usum fuisse Plutarchus docet cum Cicerone consentiens.

Cf. Plut. d. fr. a. 8: *τοὺς μὲν γὰρ ἀλλοτρίους, ὡς ἔλεγε Θεόφραστος, οὐ φιλοῦντα δεῖ κρίνειν ἀλλὰ κρίναντα φιλεῖν. ὅπου δὴ ἡ φύσις ἡγεμονίαν τῇ κρίσει πρὸς εὔνοιαν οὐ δίδωσιν οὐδὲ ἀναμένει τὸν θρυλούμενον τῶν ἁλῶν μέδιμνον, ἀλλὰ συγγεγέννηκε τὴν ἀρχὴν τῆς φιλίας, ἐνταῦθα δεῖ μὴ πικροὺς εἶναι μηδὲ ἀκριβεῖς τῶν ἁμαρτημάτων ἐξεταστάς.*

Et Cic. Lael. 67: *Exsistit autem hoc loco quaedam quaestio subdifficilis, num quando amici novi, digni amicitia, veteribus sint anteponendi, ut equis vetulis teneros anteponere solemus: indigna homine dubitatio! Non enim debent esse amicitiarum, sicut aliarum rerum satietates: veterrima quaeque, ut ea vina, quae vetustatem ferunt, esse debet suavissima, verumque illud*

est, quod dicitur, multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiae munus expletum sit.

Tribus locis apud comicos poetas hoc proverbium inveni.

Cf. incerti poetae frgm. 176 (Kock III pag. 442):

τὸν θρυλούμενον
ἁλῶν μέδιμνον συγκατεδηδοκὼς χρόνῳ
ἔστω φίλος σοι.

Tum incert. p. frgm. 271 (Kock III pag. 457):

ἁλῶν μέδιμνον ἅμα φαγὼν (add. ἀμνημονεῖ).

Denique apud Plautum Casinae v. 538 Cleostrata in mariti amicum invehens hoc proverbium significat:

Sed eccum egreditur senati columen, praesidium popli,
Meus vicinus, meo viro qui liberum praehibet locum,
Non ecastor vilis emptust modius qui venit salis. [1])

Eodem modo, quo ne nimis temere novos amicos sibi conciliarent, homines monebant Peripatetici, amicos veteres servandos atque retinendos et amicitias veteres optimas suavissimasque esse contendebant. Cicero loco, quem paulo ante in alio conexu attulimus, cum vino conferens amicitiam ut vina veterrima ita etiam amicitias veterrimas suavissimas existimat. Ut repetam: *Amicitia veterrima quaeque ut ea vina, quae vetustatem ferunt, esse debet suavissima.*

Quam sapientiam ex Theophrasti libro esse depromptam iam inde apparet, quod statim „modius salis“ sequitur.

Haud secus Antiphanes dicit frgm. 333 (Kock II pag. 135):

αἱ νέαι φιλίαι ἀναγκαῖαι μέν, αἱ δὲ
παλαιαὶ ἀναγκαιότεραι.

Tum videas, quem ad modum apud Plautum Trucul. v. 169 amator et amicus inter se opponantur:

Astaphium: Amator similest oppidi hostilis. **Diniarchus**: Quo argumento?
Ast.: Quam primum expugnari potis, tam id optumumst amicae.
Di.: Ego fateor, sed longe aliter est amicus atque amator:
Certe hercle quam veterrumus, tam homini optumust amicus.

Optimum vinculum amicitiae statuerunt Peripatetici veritatem. Neque enim amici est semper amico assentiri atque obsequi sed potius, quotiens maleficium eum committentem videmus, obiurgare debemus et increpare et monere et ad officium reducere. Sine mora flagitium amico obicere debet amicus

1) Cf. Leo, Plaut. Forsch. p. 115.

attamen semper benevolo animo sine morositate. Contra autem amicus amici iusta opprobria patienter accipere debet iisque obsequi.

Iam Aristoteles hanc doctrinam professus est; Eth. Nic. VIII 6, 7 *τὴν φιλίαν μέσην εἶναι κολακείας καὶ ἔχθρας* dicit et Eth. Nic. IX 12, 3: *ἡ δὲ τῶν ἐπιεικῶν (φιλία) ἐπιεικής, συναυξανομένη ταῖς ὁμιλίαις. δοκοῦσι δὲ καὶ βελτίους γενέσθα ἐνεργοῦντες καὶ διορθοῦντες ἀλλήλους. ἀπομάττονται γὰρ παρ' ἀλλήλων οἷς ἀρέσκονται, ὅθεν*

ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἔσθλα.

Tum Theophrastus idem postulat, quod liquido apparet ex Lael. 88: *Nam et monendi amici saepe sunt et obiurgandi, et haec accipienda amice, cum benevole fiunt.* 89 *Sed nescio quomodo verum est, quod in Andria familiaris meus dicit*:

obsequium amicos, veritas odium parit.

Molesta veritas, si quidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiae, sed obsequium multo molestius, quod peccatis indulgens praecipitem amicum ferri sinit; maxima autem culpa in eo, qui et veritatem aspernatur et in fraudem obsequio inpellitur. Omni igitur hac in re habenda ratio et diligentia est, primum ut monitio acerbitate, deinde ut obiurgatio contumelia careat; in obsequio autem, quoniam Terentiano verbo libenter utimur, comitas adsit, adsentatio, vitiorum adiutrix, procul amoveatur, quae non modo amico, sed ne libero quidem digna est: aliter enim cum tyranno, aliter cum amico vivitur. 90 *Cuius autem aures clausae veritati sunt, ut ab amico verum audire nequeat, huius salus desperanda est; scitum est enim illud Catonis, ut multa: „melius de quibusdam acerbos inimicos mereri quam eos amicos, qui dulces videantur: illos verum saepe dicere, hos numquam.“ Atque illud absurdum, qūod ii, qui monentur, eam molestiam, quam debent capere, non capiunt, eam capiunt, qua debent vacare; peccasse enim se non anguntur, obiurgari moleste ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, correctione gaudere.* 91 *Ut igitur et monere et moneri proprium est verae amicitiae et alterum libere facere, non aspere, alterum patienter accipere, non repugnanter, sic habendum est nullam in amicitiis pestem esse maiorem quam adulationem, blanditiam, adsentationem; quamvis enim multis nominibus est hoc vitium notandum levium hominum atque fallacium, ad voluntatem loquentium omnia,*

nihil ad veritatem. 92 *Cum autem omnium rerum simulatio vitiosa est — tollit enim iudicium veri idque adulterat —, tum amicitiae repugnat maxime; delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiae valere non potest.*

Ab eadem sententia, qua iubemur amicum, si quid commiserit, castigare Plauti Trinummus incipit:

Amicum castigare ob meritam noxiam
Inmoenest facinus, verum in aetate utile
Et conducibile. nam ego amicum hodie meum
Concastigabo pro commerita noxia
Invitus, ni id me invitet ut faciam fides.

„Commerita autem noxia," quam Callicli obicere vult Megaronides, ea est, quod Lesbonicum amici Charmidis filium corrumpat vel corrumpi sinat. Neque hanc castigationem moleste fert Callicles, qui v. 95 amico respondet:

Siquid sceis me fecisse inscite aut improbe,
Si id non me accusas, tute ipse obiurgandus es.

Persae quoque v. 595 huc pertinet. Lenonem, qui a Persa virginem empturus statim, quid sit pretium, quaerit, quamquam „quo genere aut qua in patria nata sit aut quibus parentibus," nescit, Toxilus servus admonet, ut antea de illis rebus Persam interroget:

To: Tace, tace: nimis tu quidem hercle homo stultus es pueriliter.
L: Quid ita? **To**: Quia enim te ex puella prius percontari volo
Quae ad rem referunt. **L**: Atque hercle tu me monuisti hau male.
Vide sis, ego ille doctus leno paene in foveam decidi,
Ni hic adesses. quantum est hominem amicum adhibere, ubi quid geras.

Simili modo Poenuli v. 1338 Lycus leno exclamat:

Decipitur nemo mea quidem sententia,
Qui suis amicis narrat recte res suas:
Nam omnibus amicis meis idem unum convenit,
Ut me suspendam, ne addicar Agorastocli.

„Decipitur nemo?" Nimirum, quia eum monent amici, neque, si quid stulte facturus est, facere sinunt.

Bacchid. v. 494 sq. Philoxenus Mnesilochum amicum filii, quem corruptum putat, hortatur:

Mnesiloche, hoc tecum oro, ut illius animum atque ingenium regas:
Serva tibi sodalem et mihi filium.

et paulo post:

Mnesiloche, cura et concastiga hominem probe.

neque recusat Mnesilochus: factum volo. (v. 495).

Lysidamus quoque Casinae v. 515, monere et obiurgare amici esse non ignorat, sed ipse bonus amicus non est, cum veritatem audire nequeat:

Nunc amicine anne inimici sis imago, Alcasime,
Mihi sciam: nunc specimen specitur, nunc certamen cernitur.
Cur amem me castigare, id ponito ad compendium:
„Cano capite, aetate aliena“ eo addito ad compendium.
„Quoi sit uxor,“ id quoque illuc ponito ad compendium.

Ei similis est Demipho Mercatoris v. 316 sq.:

Nunc tu me, credo, castigare cogitas.
Lysimachus: Egon te? **De**: Nil est iam, quod tu mihi suscenseas:
Fecere tale ante aliei spectati virei.
Humanum amarest atque id vei optingit deum.
Ne sis me obiurga: hoc non voluntas me impulit.
Ly: Quin non obiurgo. **De**: At ne deteriorem tamen
Hoc facto ducas. **Ly**: Egon te? ah, ne di siverint.

Ad eandem Peripateticam doctrinam referendos esse arbitror etiam illos locos, quibus priusquam ad rem, quam sibi proposuit, quisquam accedat, ab amicis petit consilium, sicut Antipho Stich. v. 128:

Mi auctores ita sunt amici, ut vos hinc abducam domum.

Et idem ibidem v. 143:

Bene valete: ibo atque amicis vostra consilia eloquar.

Et Gelasimus parasitus ibidem v. 503:

Certumst amicos convocare, ut consulam
Qua lege nunc med — essurire oporteat.

Quid? quod Terentiani Heautontimorumeni in initio idem Peripateticorum de amicitia praeceptum Chremes probat:

Quamquam haec inter nos nuper notitia admodum est
Inde adeo, quom agrum in proxumo hic mercatus es,
Nec rei fere sane hoc amplius quicquam fuit:
Tamen vel virtus tua me vel vicinitas,
Quod ego in propinqua parte amicitiae puto,
Facit ut te audacter moneam et familiariter,
Quod mihi videre praeter aetatem tuam
Facere et praeter quam res te adhortatur tua.

Exinde Menedemum increpat:

Nam pro deum atque hominum fidem, quid vis tibi?
Quid quaeris? annos sexaginta natus es,
Aut plus eo, ut conicio; in his regionibus
Meliorem agrum neque preti maioris nemo habet;
Servos compluris: proinde quasi nemo siet,
Ita attente tute illorum officia fungere.
Numquam tam mane egredior neque tam vesperi
Domum revertor, quin te in fundo conspicer
Fodere aut arare aut aliquid ferre. denique
Nullum remittis tempus neque te respicis.
Haec non voluptati tibi esse satis certo scio.
„Enim," dices, „quantum hic operis fiat paenitet."
Quod in opere faciundo operae consumis tuae,
Si sumas in illis exercendis, plus agas.

Et cum hic interroget:

Chremes, tantumne ab re tuast oti tibi,
Aliena ut cures ea, quae nil ad te attinent?
Homo sum, pergit, humani nil a me alienum puto.
Vel me monere hoc vel percontari puta:
Rectum est, ego ut faciam; non est, te ut deterream.

Profecto hominem vere Peripateticum hic Chremes se praestat, qui ea tantum de causa Menedemum increpat atque obiurgat, quia amicum eius se esse existimat, cuiusque admonitio „libera" quidem (cf. „audacter" v. 6) sed sine omni „acerbitate" atque „morositate" est (cf. „familiariter" v. 6).

Amicitia ut stabilis esset, opus esse fide dixerunt Peripatetici. *Firmamentum autem stabilitatis constantiaeque est eius, quam in amicitia quaerimus, fides; nihil est enim stabile, quod infidum est* dicit Cicero Lael. 65 et iam apud Aristotelem legimus Eth. Nic. VIII 4, 3: *καὶ τὸ πιστεύειν ἐν τούτοις καὶ τὸ μηδέποτ' ἂν ἀδικῆσαι, καὶ ὅσα ἄλλα ἐν τῇ ὡς ἀληθῶς φιλίᾳ ἀξιοῦται.* Quocum consentit Eudemus Eth. Eud. VII 2, 40: *οὐκ ἔστι δ' ἄνευ πίστεως φιλία βέβαιος, ἡ δὲ πίστις οὐκ ἄνευ χρόνου.*

Quae fides apud poetas comicos requirentibus haud paucis nobis praebetur locis.

Iam in initio Trinummi, quod supra exscripsimus, Megaronidem, ut amicum castiget, fide commoveri vidimus:

... ni id me invitet ut faciam fides.

Tum eiusdem fabulae v. 1095 Charmidi, qui ab amico Callicle se esse deceptum arbitratur, lamentanti:

O Callicles, o Callicles, o Callicles,
Qualine amico mea commendavi bona?

hic respondet:

Probo et fideli et fido et cum magna fide.

Quod postquam Callicles accuratius demonstravit, Charmidis servus eum laudat v. 1110;

Hic meo ero amicus solus firmus restitit
Neque demutavit animum de firma fide,
Quamquam labores multos .....
Sed hic unus, ut ego suspicor, servat fidem.

Et paulo post v. 1125 ipse Charmides de amico idem iudicat:

Neque fuit neque erit neque esse quemquam hominem in terra arbitror,
Quoi fides fidelitasque amicum erga aequiperet tuam.

Callicles autem respondet:

Siquid amicum erga bene feci aut consului fideliter,
Non videor meruisse laudem, culpa caruisse arbitror.

Mercator. v. 625 Charinus amicum increpat:

Perdidisti me et fidem mecum tuam.

Et idem v. 839 e patria emigraturus cum alias tum hanc causam affert, quod quibus in amicis fides insit, internoscere non possit:

ab Atticis abhorreo.
Nam ubi mores deteriores increbrescunt in dies,
Ubi qui amici, qui infideles sint, nequeas pernoscere,
Ubique id eripiatur animo tuo, quod placeat maxume,
Ibi quidem si regnum detur, non cupitast civitas.

Porro Captiv. v. 439 sq. amicitiae stabilitas cum fide coniungitur, nam Tyndarus Philocratem abeuntem hortatur:

Fac fidelis sis fideli, cave fidem fluxam geras.
Nam pater scio faciet, quae illum facere oportet omnia.
Serva tibi in perpetuom amicum me atque hunc inventum inveni.
Haec per dexteram tuam te dextera retinens manu
Opsecro, infidelior mihi ne fuas, quam ego sum tibi.
Tu hoc age: tu mihi nunc erus es, tu patronus, tu pater:
Tibi commendo spes opesque meas.

Denique ne obliviscaris in Bacchidum versibus, quos supra (pag. 49) commemoravimus, inter falsorum amicorum vitia inopiam quoque fidei enumeratam esse (cf. „sublesta fide“ v. 543).

A Pythagora proverbium illud inventum esse scriptores antiqui tradunt: *κοινὰ τὰ τῶν φίλων*, quod primi poetae tragici receperunt — cf. Euripidis Orest. v. 735:

συγκατασκάπτοις ἂν ἡμᾶς· κοινὰ γὰρ τὰ τῶν φίλων —

deinde Plato saepius citavit — cf. Phaedr. p. 279 c: *καὶ ἐμοὶ ταῦτα συνεύχου· κοινὰ γὰρ τὰ τῶν φίλων*[1]) —, tum Aristoteles repetivit.

Cf. Eth. Nic. VIII 11, 1: *καὶ ἡ παροιμία „κοινὰ τὰ φίλων“ ὀρθῶς, ἐν κοινωνίᾳ γὰρ ἡ φιλία.*[2])

Theophrastum quoque hoc proverbio usum fuisse e Plut. d. frat. am. 20 discimus: *εὖ μὲν εἶπε Θεόφραστος, ὡς εἰ κοινὰ τὰ φίλων ἐστί, μάλιστα δεῖ κοινοὺς τῶν φίλων εἶναι τοὺς φίλους.*

Duo loci exstant apud comicos, ubi hoc proverbium ipsum invenimus: primum Menandri frgm. 9:

κοινὰ τὰ τῶν φίλων.

deinde Terenti Adelph. v. 804. v. 802 enim Demea amicum Micionem obiurgat:

Quando ego tuom non curo, ne cura meum.

Cui respondet Micio:

Non aequom dicis, ... nam vetus verbum hoc quidemst,
Communia esse amicorum inter se omnia.

Praeterea autem multi alii sunt loci, qui eandem sententiam praebent. Etenim quid aliud hoc proverbio postulatur, nisi ut omni tempore omni modo amicus amicum adiuvet, quod praeter alios Peripateticos flagitasse per se patet?

Cf. Arist. Eth. Nic. VIII 1, 2: *ἐν πενίᾳ τε καὶ ταῖς λοιπαῖς δυστυχίαις μόνην οἴονται καταφυγὴν εἶναι τοὺς φίλους.*
Et Eth. Nic. IX 8, 9: *καὶ χρήματα προοῖντ᾽ ἂν ἐφ᾽ ᾧ πλείονα λήψονται οἱ φίλοι. γίγνεται γὰρ τῷ μὲν φίλῳ χρήματα, αὐτῷ δὲ τὸ καλόν. τὸ δὴ μεῖζον ἀγαθὸν ἑαυτῷ ἀπονέμει.*

Ac nunc apud poetas comicos eos locos mecum perlustres, in quibus vel illud proverbium obiter significatum vel adiuvandi praeceptum datum videmus.

Conferas primum Diphili frgm. 102 (Kock II pag. 573):

ἀνδρὸς φίλου καὶ συγγενοῦς γὰρ οἰκίαν
αὑτοῦ νομίζειν δεῖ τὸν ὀρθῶς εὐγενῆ·

---

1) Cf. Lys. p. 207 c, πολιτ. IV p. 449 c, Leg. V p. 739 c.
2) Cf. Eth. Nic. IX 8, 2.

deinde Phronesii verba Trucul. v. 885:

Verum est verbum, quod memoratur: ubi amici ibidem opes.

Proxime autem ad proverbium ipsum accedit Curcul. v. 334, ubi in ridiculam partem id tractum videmus. Curculio parasitus a Phaedromo in Cariam missus, unde ab amico accesseret argentum, quid profecerit, narrat:

Postquam tuo iussu profectus sum, perveni in Cariam:
Video tuom sodalem, argenti rogo ut faciat copiam.
Scires velle gratiam tuam: noluit frustarier,
Ut decet velle hominem amicum amico atque opitularier:
Respondit mihi paucis verbis atque adeo fideliter,
Quod tibist item sibi esse, magnam argenti inopiam.

Trinummi v. 57 Megaronides, num valeat uxor, Calliclem interrogat. Plus quam ego volo, respondet hic; Megaronides autem pergit:

Bene herclest illam tibi valere et vivere.

Eum vituperat amicus:

Credo hercle te gaudere, siquid mihi malist.

Tum Megaronides:

Omnibus amicis quod mihist cupio esse idem.

Amici esse amicum adiuvare etiam Lysiteles contendit eiusdem fabulae v. 345 sq.:

Edepol deum virtute dicam, pater, et maiorum et tua
Multa bona bene parta habemus: bene si amico feceris,
Ne pigeat fecisse: ut potius pudeat, si non feceris.

Quam acriter autem in sententia sua permaneat adulescens, optime e versibus 712 sq. cognoscimus, quibus cum Lesbonico amico colloquitur:

Nil ego, inquit, in occulto agere soleo: meus ut animust eloquar:
Si mihi tua soror, ut ego aequom censeo, ita nuptum datur
Sine dote neque tu hinc abituru's, quod meum erit, id erit tuom:
Sin aliter animatus es, — bene quod agas eveniat tibi:
Ego amicus numquam tibi ero alio pacto: sic sententiast.

Porro ne praetermittamus Persae v. 513:

Tibi ibidem das, ubi tu tuom amicum adiuvas.

Quocum statim Periplecomeni verba conferamus Mil. v. 673:

Nam in mala uxore atque inimico siquid sumas, sumptus est:
In bono hospite atque amico quaestus est quod sumitur.

Nec non Persae v. 655 huc pertinet:

Nam etsi res sunt fractae, amici sunt tamen.

Postremo videas, quam boni amici Callidamates et Philolaches in Mostellaria sint, inter quos vix quidquam est, quod non habeant commune. Ille hunc apud patrem eius defendit v. 1158 sq.:

Omnium primum sodalem me esse scis gnato tuo.
Is adit me: nam illum prodire pudet in conspectum tuom
Propter ea, quae fecit, quom te scire scit. nunc te obsecro,
Stultitiae adulescentiaeque eius ignoscas: tuost.
Scis solere illanc aetatem tali ludo ludere.
Quicquid fecit, nobiscum una fecit: nos deliquimus.
Faenus, sortem sumptumque omnem, qui amica emptast, omnia
Nos dabimus, nos conferemus nostro sumptu, non tuo.

Neque tamen pecuniam solum et opes inter amicos communia esse debere Peripatetici docebant, sed etiam ad animi motus proverbium transtulerunt. Itaque si quis gaudio afficitur, eodem afficitur etiam eius amicus, et amicus dolorem non minus sentit quam is, qui eum patitur.

ὡς δὲ πρὸς ἑαυτὸν ἔχει ὁ σπουδαῖος, καὶ πρὸς τὸν φίλον· ἕτερος γὰρ αὐτὸς ὁ φίλος ἐστίν dicit Aristoteles Eth. Nic. IX 9, 10.

Quo fit ut gaudium quidem augeatur, si eius particeps est amicus, dolor autem minuatur.

Cf. Cic. Lael. 22: *Qui esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis aeque ac tu ipse gauderet? adversas vero ferre difficile esset sine eo, qui illas gravius etiam quam tu ferret. ... Nam et secundas res splendidiores facit amicitia et adversas partiens communicansque leviores.*

Simili autem modo iam Aristoteles contendit homines praecipue in rebus adversis amicis indigere.

Cf. Eth. Nic. IX 11, 1: *πότερον δ' ἐν εὐτυχίαις μᾶλλον φίλων δεῖ ἢ ἐν δυστυχίαις; ἐν ἀμφοῖν γὰρ ἐπιζητοῦνται. οἵ τε γὰρ ἀτυχοῦντες δέονται ἐπικουρίας, οἱ δ' εὐτυχοῦντες συμβίων καὶ οὓς εὖ ποιήσουσιν· βούλονται γὰρ εὖ δρᾶν. ἀναγκαιότερον μὲν δὴ ἐν ταῖς ἀτυχίαις, διὸ τῶν χρησίμων ἐνταῦθα δεῖ, κάλλιον δ' ἐν ταῖς εὐτυχίαις, διὸ καὶ τοὺς ἐπιεικεῖς ζητοῦσιν. τούτους γὰρ αἱρετώτερον εὐεργετεῖν καὶ μετὰ τούτων διάγειν. ἔστι γὰρ καὶ ἡ παρουσία αὐτὴ τῶν φίλων ἡδεῖα καὶ ἐν ταῖς δυστυχίαις. κουφίζονται γὰρ οἱ λυπούμενοι συναλγούντων τῶν φίλων. διὸ κἂν ἀπορήσειέν τις πότερον ὥσπερ βάρους μεταλαμβάνουσιν, ἢ τοῦτο μὲν οὔ, ἡ παρουσία δ' αὐτῶν ἡδεῖα οὖσα καὶ ἡ ἔννοια τοῦ συναλγεῖν ἐλάττω τὴν λύπην ποιεῖ.*

Et ibidem 11, 6: *ἰέναι δ' ἀνάπαλιν ἴσως ἁρμόζει πρὸς μὲν τοὺς ἀτυχοῦντας ἄκλητον καὶ προθύμως (φίλου γὰρ εὖ ποιεῖν, καὶ μάλιστα τοὺς ἐν χρείᾳ καὶ τὸ μὴ ἀξιώσαντας. ἀμφοῖν γὰρ κάλλιον καὶ ἥδιον), εἰς δὲ τὰς εὐτυχίας συνεργοῦντα μὲν προθύμως (καὶ γὰρ εἰς ταῦτα χρεία φίλων), πρὸς εὐπάθειαν δὲ σχολαίως.*

Nec non praebent hanc doctrinam poetae comici.

Philemon scribit frgm. 108 (Kock II pag. 513):

τί ποτ' ἐστὶν ἆρα διότι βούλεταί μ' ἰδεῖν;
ἢ καθάπερ οἱ νοσοῦντες ἀλγοῦντες σφόδρα,
τὸν ἰατρὸν ἂν ἴδωσιν, οὐκ ἀλγοῦσ' ἔτι,
οὕτως, ἐπάν τις τυγχάνῃ λυπούμενος,
ἧττον ὀδυνᾶται, φίλον ἐὰν παρόντ' ἴδῃ;

Et Menander frgm. 814 (Kock III pag. 221):

ἡδύ γε φίλου λόγος ἐστὶ τοῖς λυπουμένοις.

Idem frgm. 591 (Kock III pag. 179):

τῷ μὲν τὸ σῶμα διατεθειμένῳ κακῶς
χρεία 'στ' ἰατροῦ, τῷ δὲ τὴν ψυχὴν φίλου·
λύπην γὰρ εὔνους οἶδε θεραπεύειν λόγος.

Ne apud Plautum quidem frustra similia quaerimus. Captiv. v. 139 sq. Ergasilus parasitus Hegionis filium deplorat et Hegioni interroganti:

Alienus quom eius incommodum tam aegre feras,
Quid me patrem par facerest, quoi illest unicus?
Alienus? respondet, ego alienus illi? aha Hegio,
Numquam istuc dixis neque animum induxis tuom:
Tibi ille unicust, mi etiam unico magis unicus.

Tum laudat eum senex:

Laudo malum quom amici tuom ducis malum.

Adde Casinae v. 172 sq.:

Myrrhina: .. quid tu's tristis, amabo?
Cleostrata: Ita solent omnes quae sunt male nuptae:
Domi et foris aegre quod sit, satis semper est.
Nam ego ibam ad te. **My**: Et pol ego istuc ad te.
Sed quid est, quod tuo nunc animo aegrest?
Nam quod tibist aegre, idem mihist dividiae.

Quas mulieres esse amicas e v. 203 apparet, ubi Cleostrata dicit:

Tu quidem advorsum tuam amicam omnia loqueris.

Eth. Nic. VIII 14, 4 [1]) agit Aristoteles de beneficiis, quae plerosque queritur accipere quidem velle, reddere autem existimare inutile: *εὖ πάσχειν γὰρ οἱ πολλοὶ βούλονται, τὸ δὲ ποιεῖν φεύγουσιν ὡς ἀλυσιτελές*, quod repetivit Eth. Nic. IX 7, 1: *ἀμνήμονες γὰρ οἱ πολλοὶ καὶ μᾶλλον εὖ πάσχειν ἢ ποιεῖν ἐφίενται. δόξειε δ' ἂν φυσικώτερον τὸ αἴτιον.*

Amici autem magis esse bene facere quam beneficia accipere Eth. Nic. IX 9, 2 confitetur: *εἴ τε φίλου μᾶλλόν ἐστι τὸ εὖ ποιεῖν ἢ πάσχειν καί ἐστι τοῦ ἀγαθοῦ καὶ τῆς ἀρετῆς τὸ εὐεργετεῖν.*

Hanc virtutem gratiae referendae non minus acriter quam Peripatetici Epicurus comprobavit, qui prorsus idem docuit: melius esse bene facere quam beneficia accipere.

Cf. frgm. 544 (Plutarchus contra Epicuri beatitudinem 15 p. 1097[a]): *αὐτοὶ δὲ δή που (οἱ Ἐπικούρειοι) λέγουσιν ὡς τὸ εὖ ποιεῖν ἥδιόν ἐστι τοῦ πάσχειν.*

Et (eiusdem philosoph. esse c. princ. 3 p. 778[c]): *Ἐπίκουρος τἀγαθὸν ἐν τῷ βαθυτάτῳ τῆς ἡσυχίας ὥσπερ ἐν ἀκλύστῳ λιμένι καὶ κωφῷ τιθέμενος, τοῦ εὖ πάσχειν τὸ εὖ ποιεῖν οὐ μόνον κάλλιον ἀλλὰ καὶ ἥδιον εἶναί φησι. χαρᾶς γὰρ οὐδὲν οὕτω γόνιμόν ἐστιν ὡς χάρις.*

Praeter Epicurum autem cum Peripateticis certant etiam Stoici in hac virtute laudanda.

Cf. Senecae de benef. IV 18: *Ut scias per se expetendam esse grati animi adfectionem, per se fugienda res est ingratum esse, quoniam nihil aeque concordiam humani generis dissociat ac distrahit quam hoc vitium.*

Et ibidem V 17: *Grati simus adversus deos, grati adversus homines, grati adversus eos, qui aliquid nobis praestiterunt, grati etiam adversus eos, qui nostris praestiterunt.*

Duo locos apud Plautum inveni, ubi gratiae referendae virtus laudatur quosque ex hac sive Peripateticorum sive Epicuri sive Stoicorum doctrina originem ducere existimo.

Primum huc pertinent Mnesilochi verba, qui Bacchid. v. 339 secum ipse loquitur:

---

1) Cf. Eth. Nic. VIII 13, 2.

Nam pol meo quidem animo ingrato homine nil inpensiust.
Malefactorem amitti satiust quam relinqui beneficum.
Nimio inpendiosum praestat te quam ingratum dicier.
Illum laudabunt boni: hunc etiam ipsi culpabunt mali.
Qua me causa magis cum cura esse aequom, obvigilatost opus.
Nunc, Mnesiloche, specimen specitur, nunc certamen cernitur,
Sisne necne ut esse oportet: malus, bonus quoiquoimodi:
Iustus, iniustus: malignus, largus: commodus, incommodus.
Cave sis te superare servom siris faciundo bene.

In memoriam autem velim tibi revoces eundem Mnesilochum in eodem sermone intimo amicitiam eximia laude ornare, quam ad Epicureum vel Peripateticum fontem esse referendam supra demonstravimus.[1]) Quae cum ita sint quamquam haec quoque verba adulescentis ad easdem sectas, si fieri possit, referre velimus, tamen id quominus faciamus, nos impediunt Senecae de benef. V 11: *Venio nunc ad ultimam partem. qui gratiam refert, aliquid debet inpendere, sicut qui solvit pecuniam. nihil autem inpendit, qui gratiam sibi refert.*

Et V 2: *Illud utique unice tibi placet velut magnifice dictum: turpe est beneficiis vinci.*

Uterque enim locus cum versibus Plautinis tantam habet similitudinem, ut de Stoico fonte potius nobis esse cogitandum existimem quam de Epicureo et Peripatetico.

Alter locus exstat Persae in v. 753. Ibi Toxilus servus, qui Dordalum lenonem bene ludificatus est, et dis gratias refert et amicos, quorum auxilio usus est, spoliorum participes facit:

Hostibus victis, civibus salvis, re placida pacibus perfectis,
Bello extincto, re bene gesta, integro exercitu et praesidiis,
Quom bene nos, Iuppiter, iuvisti dique alii omnis caelipotentes,
Eas vobis habeo grates atque ago, quia probe sum ultus meum inimicum.
Nunc ob eam rem inter participes dividam praedam et participabo.
Ite foras: hic volo ante ostium et ianuam
Meos participes bene accipere.
Statuite hic lectulos: ponite hic, quae adsolent:
Hic statui volo primum † aquila mihi
Unde ego omnis hilaros ludentis laetificantis faciam ut fiant,
Quorum opera haec mihi facilia factu facta sunt quae volui effieri.
Nam improbus est homo, qui beneficium scit accipere et reddere nescit.

---

1) Cf. pag. 47.

Hanc de amicitia partem quoniam ad finem perduximus, paucis cum iis mihi colloquendum est, qui nonnulla horum de amicitia praeceptorum, quae ad Peripateticos rettuli, iam apud Euripidem nobis occurrere mihi obiciunt. Id negari nullo modo potest. Nam Euripides quoque amicitiam laudat ut Orest. v. 805:

ὡς ἀνὴρ ὅστις τρόποισι συντακῇ, θυραῖος ὢν
μυρίων κρείσσων ὁμαίμων ἀνδρὶ κεκτῆσθαι φίλος.

Et eiusdem fabulae v. 1155:

οὐκ ἔστιν οὐδὲν κρεῖσσον ἢ φίλος σαφής,
οὐ πλοῦτος οὐ τυραννίς.

Et veros amicos a falsis discernit illosque non ita esse multos existimat, ut Suppl. v. 867:

φίλος τ' ἀληθὴς ἦν φίλοις παροῦσί τε
καὶ μὴ παροῦσιν, ὧν ἀριθμὸς οὐ πολύς.

Quae quamquam ita sunt, tamen eos locos, quos apud poetas comicos invenimus quique easdem continent sententias, ad Euripidem philosophis neglectis ut referamus non cogimur. Quamvis enim comici Euripidem amaverint et libenter imitati sint, tamen satis multa de amicitia praecepta exstant, quae apud eum nusquam occurrunt quaeque quin ex philosophico fonte fluxerint, ne minima quidem exsistere potest dubitatio. Qua de causa etiam ea, quae ex Euripidis fabulis poterant desumere comici, philosophis attribuemus. Equidem rem sic se habere existimo: Iam sophistae, qui eiusmodi quaestiones tractare solebant, de amicitia disputaverant eiusque haud paucas leges constituerant. Quas recepit Euripides, qui quantopere ex illis philosophis pendere solitus sit, satis notum est. Ab isdem autem sophistis invitatus eandem amicitiae materiam tractandam sibi sumpsit Aristoteles, [1]) amplificavit, artificiose redegit revocavitque ad certam rationem litterarum. Eius vero doctrinam Theophrastus adeo propagavit, ut inter homines litteratos nemo esset quin eam pernosceret.

---

1) Cf. Ferdinand Duemmler, Prolegomena zu Platons Staat pag. 60.

Caput tertium.

De Periplecomeno.

Iam supra contigit, ut fabulae alicuius Plautinae non solum nonnullos versus sed ampliorem partem, dico Trinummi v. 223—275, ad fontem philosophicum reicere potuerimus; idem nunc in Milite Glorioso conabimur. Agitur de versibus, qui numerantur inde ab 615 usque ad 765, qui quonam in conexu positi sint primum videtur esse explicandum. Ut e versu 598 liquido apparet, Palaestrio, Periplecomenus, Pleusicles de rebus gerendis consilium habituri sunt, sed postquam inimicorum neminem in platea esse omniaque secura sibi persuasit servus, haec deliberatio tantum abest ut sequatur, ut statim consilium probetur (611—612), quod iam antea domi inter eos convenerit. Consilium autem ipsum versu demum 764 percipimus, ut versus centum et quinquaginta interpositi sint, quibus fabulae actio quominus procedat impeditur. „Am allerstörendsten freilich," inquit Ribbeckius, [1] „für den Fortgang der Handlung sind die gesprächigen Auslassungen des Alten (III 1), welche in die beabsichtigte Beratung wie ein Keil hineingeschoben werden. An sich, wenigstens in ihrem Kern, vortrefflich zur Charakteristik des lebenslustigen und welterfahrenen Junggesellen geeignet, sind sie doch von unverhältnismässiger Breite und zum Teil an den Haaren herbeigezogen. Wenigstens die v. 736 ausgesprochene Absicht desselben, jetzt Einkäufe zum Essen machen zu wollen, ist geradezu improvisiert, um zu der hübschen Sittenschilderung v. 750 ff. die Brücke zu bilden, während doch der Alte im Anfang der Scene beim Heraustreten eine solche Absicht keineswegs verraten hat, auch nicht darauf zurückkommt, obwohl er dieses Geschäft mit dem Gang zu seiner Klientin (803) wohl vereinigen konnte."

Hominem igitur ut depingere posset, qui morum sermonumque iucunditate spectatorum animos oblectaret, hos versus inseruit poeta. Nostrum autem est quaerere, num exemplum

1) Ribbeck, Alazon, ein Beitrag zur antiken Ethologie und zur Kenntnis der griechisch-römischen Komödie. Leipzig 1882.

fortasse habuerit, quod hac morum descriptione expresserit. Atque hac de re quantopere adhuc viri docti dissentiant ut intellegamus, haud sine fructu eorum iudicia audiamus.

Ribbeckius l. l. his in versibus tam multa a Plauto esse novata arbitratur, ut etiam Periplecomeni figura distorta sit atque depravata. Pergit enim: „Erwägt man nun den satirischen Seitenhieb auf die Bauern von Apulien und das Krähwinkel Animula (647), die Erwähnung der römischen Matronalien (690), des Minervafestes an den Quinquatrus (691 flgd.), so ist unzweifelhaft, dass der römische Dichter sich in der Ausführung dieser Partie mit Behagen hat gehen lassen, während andererseits der Vergleich mit dem agoranomus (725) und die echt-griechische Redensart odiorum Ilias (741) die Annahme verbietet, als ob etwa jener hier ganz aus freier Hand gearbeitet habe. Es bleibt aber nicht ausgeschlossen sich vorzustellen, dass getrennte Scenen des einen oder mehrerer Originale hier mit einander verschmolzen und willkürlich ausgeweitet sind. Bei wiederholten Aufführungen scheint gerade diese Partie zur Einschwärzung von allerhand Zuthaten und Variationen vielleicht unter teilweiser Zuziehung einer griechischen Vorlage verführt zu haben. Dass uns Schichten verschiedener Redaktionen vorliegen, verrät die als Ganzes völlig unhaltbare Aufeinanderfolge der Verse 639—670 in den Handschriften. So ist es gekommen, dass das Bild des jovialen Ephesiers etwas auseinandergezerrt vor den Leser tritt."

Tum Niemeyerus hoc de sene verba facit:[1]) „Man pflegt auf den Periplecomenus wie auf ein Muster der feinsten attischen Urbanität hinzuweisen; ich muss gestehen, dass ein grosser Teil der Scene einen äusserst komischen Eindruck auf mich gemacht hat. Mir scheint der schwatzhafte Alte, der jugendliche Weisskopf, der mit seinen weisen Lebensanschauungen sich gewaltiglich spreizt, von dem (natürlich griechischen) Dichter mit der göttlichsten Ironie gezeichnet zu sein .... In den südlichen Landen giebt es ja der alten Narren mehr als bei uns. Wie trefflich persiffliert der attische Dichter die Trivialität höchster Potenz durch Vorführung dieses albernen Ephesiers."

Aliter Lorenzius in praefatione editionis: „Wir erkennen

1) Philologische Wochenschrift I (1881) No. 13 S. 349—352.

hier alsbald den heiteren Jonier aus einer blühenden Handelsstadt an Kleinasiens üppiger Küste, wie schon Mimnermus und Anacreon ihn uns denken lassen. Wir erkennen aber auch den wohlabgeschliffenen Athenienser der späteren Zeit, der mit dem λάθε βιώσας Epikurs vor Augen der von diesem empfohlenen ἀταραξία nachstrebt und wenigstens alle sinnlichen Genüsse einer angenehmen Existenz mit raffiniertem Bedacht hinunterschlürfen will; — lauter Züge, die wiederum mit Bestimmtheit auf einen attischen Dichter hinweisen."

Et haec quidem virorum doctorum de Periplecomeno iudicia. Eodem autem modo quo Lorenzius nos quoque huius singularis senis exemplum apud philosophos quaesivimus et sicut ille senem aliqua quidem ex parte Epicuri discipulum statuit, ita nos Aristippum aut magistrum aut exemplum eius fuisse probare conabimur auctore Birtio, qui iam pridem in scholis eandem de Aristippo suspicionem sustinebat. Et profecto, hominem si depingere volebat poeta Graecus vitae fruendae studiosum, quisnam magis erat idoneus, quem imitaretur, quam philosophus Cyrenaicus? Sed mittamus in universum hac de re loqui, ad singula potius transeamus atque, quibus in rebus cum Aristippo consentiat Periplecomenus, videamus.

Iam quod ad faciem attinet, similitudinem quandam esse inter Aristippum et Periplecomenum contendere licet. Quamquam enim de illius forma ab antiquis scriptoribus expressis verbis nihil est traditum — nisi quod ab Alexide comico frgm. 36 Aristippus σοφιστής εὐφυής nominatur, quod aliqua quidem ex parte, imprimis εὐφυής vocabuli quae sit vis, respicientes etiam ad corporis habitum referre possumus — attamen omnibus, quae de eo traduntur, perpensis omni ex parte hominem formosum, validum, sanum cogitatione nobis formabimus. Idem autem etiam Periplecomenus, etsi annos iam quinquaginta et quattuor natus est, de se gloriatur, ut hic quoque vir pulcher, firmus valensque nobis fingendus sit.

Cf. v. 627—630:

Quid ais tu? tam tibi ego videor oppido Acheruntiens?
Tam capularis? tamne tibi diu videor vitam vivere?
Nam equidem haud sum natus annos praeter quinquaginta et quattuor:
Clare oculis video, pernix sum pedibus, manibus mobilis.

v. 640: Et ego amoris aliquantum habeo umorisque etiam in corpore.

Confirmatius vero Periplecomenum alterum Aristippum esse nobis persuadebimus vitae rationes et mores utriusque contemplati.

Summum bonum finemque vitae ut postea Epicurus iam Aristippus voluptatem statuebat et beatitudinem hominis in ea esse positam existimabat.

Cf. Diog. L. II 87: *ἡδονὴν μέντοι τὴν τοῦ σώματος, ἣν καὶ τέλος εἶναι ....*

Athenaei XII 544 a: (*Ἀρίστιππος*) *ἀποδεξάμενος τὴν ἡδυπάθειαν ταύτην τέλος εἶναι ἔφη καὶ ἐν αὐτῇ τὴν εὐδαιμονίαν βεβλῆσθαι.*

Socratic. ep. XIII 2 (Aristippus Simoni): *σκόπει οὖν ὁπόσον σοι ἐγὼ φίλος ὁ ῥαστώναν καὶ τὰν ἁδονὰν ἀποδεχόμενος.*

Socratic. ep. VIII (Antisthenes Aristippo): *εἰ δ', ὥς φασί τινες, ἡδονὴν θαυμάζεις καὶ τούτων ἀντέχῃ ὧν μὴ προσήκει τοὺς φρονίμους ἀνθρώπους, ἄπιθι εἰς Ἀντίκυραν καὶ ὠφελήσει σε ὁ ἐλλέβορος ποθεὶς πολύς.*

Unaquaeque autem voluptas ei bonum videbatur neque inter eas ullum esse discrimen.

Cf. Diog. L. II 88: *μὴ διαφέρειν τε ἡδονὴν ἡδονῆς.*
Itaque nulla voluptate abstinebat, sed omnibus se dedebat atque summo opere id studebat, ut quam suavissime viveret.

Apud Xenophontem Memorab. II 1, 9 ipse dicit: *ἐμαυτόν γε μέντοι τάττω εἰς τοὺς βουλομένους ᾗ ῥᾷστά τε καὶ ἥδιστα βιοτεύειν.*

Deinde cf. Socratic. ep. XII (Simon Aristippo): *ἐγὼ δὲ ὁμολογῶ εἶναι σκυτοτόμος καὶ ἐργάζεσθαι τοιαῦτα, καὶ ἕτοιμος, εἰ δέοι, σκύτη τέμνειν αὖ πάλιν εἰς νουθεσίαν ἀνθρώπων ἀφρόνων καὶ οὕτω μετὰ πολλῆς χλιδῆς οἰομένων ζῆν παρὰ τὴν Σωκράτους βουλήν.*

Simili modo Periplecomenus quoque numquam neque adulescens neque vir neque senex alium vitae finem sibi proposuit ac semper voluptate frui et in quam maximis vivere deliciis, quod cum ex omnibus eius sermonibus tum e versibus elucet 641 et 706.

Nequedum exarui ex amoenis rebus et voluptariis. (641)

Nunc bene vivo et fortunate atque ut volo atque animo ut lubet. (706)

Et haec quidem in universum de communi eorum voluptatis studio dicta sint. Quid? quod etiam in singulis voluptatibus,

quibus indulgebat Cyrenaicus philosophus, ab eo minime dissentit Periplecomenus.

Magnus erat Aristippus in rebus veneriis et haud pauca exstant antiquorum scriptorum testimonia, e quibus cum meretricibus consuetudinem eum habere solitum esse discimus.

Cf. Diog. L. II 69: *εἰσιών ποτε εἰς ἑταίρας οἰκίαν καὶ τῶν σὺν αὐτῷ μειρακίων τινος ἐρυθριάσαντος· οὐ τὸ εἰσελθεῖν, ἔφη, χαλεπόν, ἀλλὰ τὸ μὴ δύνασθαι ἐξελθεῖν.* 1)

Nota deinde est eius cum Laide, meretrice illa famosa Corinthia, consuetudo, cuius iam Hermesianax poeta elegiacus mentionem facit apud Athenaeum XIII 599:

ἄνδρα Κυρηναῖον δ᾽ εἴσω πόθος ἔσπασεν Ἰσθμοῦ
δεινὸς ὅτ᾽ ἀπιθανῆς Λαίδος ἠράσατο.
ὀξὺς Ἀρίστιππος, πάσας δ᾽ ἠνήνατο λέσχας
φεύγων, οὐ δ᾽ ἀνέμων ἐξεφόβησε βίη.

Quam ob rem cum a nonnullis vituperatus esset, flagitium suum excusatione illa defendebat, ut diceret multum interesse inter se et ceteros Laidis amatores, quod ipse haberet Laidem, ceteri ab ea haberentur; unde apparet Aristippum, quamvis libidinibus atque cupiditatibus morigeraretur, tamen numquam iis succubuisse.

Cf. Clement. Alex. Strom. II pag. 411 a: *ὀνειδιζόμενος οὖν ἐπὶ τῷ συνεχῶς ὁμιλεῖν τῇ ἑταίρᾳ τῇ Κορινθίῃ· ἔχω γάρ, ἔφη, Λαΐδα καὶ οὐκ ἔχομαι ὑπ᾽ αὐτῆς*, quae eadem leguntur apud Athen. XII 544, Diog. L. II 75, Theodoret. Graec. aff. car. XII, Cic. ep. ad div. IX 26.

Ecce iterum cum Aristippo concordat senex Plautinus. Nam eodem modo meretricibus utitur, quas invitat ad convivia, quibuscum iocatur.

Cf. v. 652 et 656:

Neque ego umquam alienum scortum subigito in conviviis. (652)
Venerem, amorem amoenitatemque accubans exerceo. (656)

Amori per totam vitam semper se dedidit eiusque naturam ex omni parte ita cognovit, ut etiam Pleusiclis aegre amantis habitum animi statim intellegat.

Cf. v. 639:

Nam nisi qui ipse amavit, aegre amantis ingenium inspicit.
Et ego amoris aliquantum habeo umorisque etiam in corpore
Nequedum exarui ex amoenis rebus et voluptariis.

1) Cf. Diog. L. II 67. 81.

Quin etiam Venerem nutricem eius fuisse suspicatur Palaestrio v. 649:

O lepidum senem, in se si quas memorat virtutis habet,
Atque equidem plane educatum in nutricatu Venerio.

Amoris autem cupiditati ne umquam succubuerit vel succumbere possit, ne de hoc quidem sene metuimus, qui hac quoque in re magistri est discipulus.

Amabat porro Aristippus laute pretioseque vivere neque cibos delicatos spernebat neque saliares epulas neque luxuriosas compotationes.

Xenophon dicit Memorab. II 1, 1 eum esse *ἀκολαστοτέρως ἔχοντα πρὸς τὰ τοιαῦτα (πρὸς ἐπιθυμίαν βρωτοῦ καὶ ποτοῦ καὶ λαγνείας καὶ ὕπνου)* et ibidem II 1, 15 Aristippus, cum Socrates ex eo quaesiverit, num propterea nusquam habere vellet domicilium, quia confideret neminem se habere velle servum. respondet: *τίς γὰρ ἂν ἐθέλοι ἄνθρωπον ἐν οἰκίᾳ ἔχειν πονεῖν μὲν μηδὲν ἐθέλοντα, τῇ δὲ πολυτελεστάτῃ διαίτῃ χαίροντα.*

Deinde apud Lucianum vit. auct. 12: *τὸ μὲν ὅλον συμβιῶναι δεξιὸς καὶ συμπιεῖν ἱκανὸς καὶ κωμάσαι μετ' αὐλητρίδος ἐπιτήδειος ἐρῶντι καὶ ἀσώτῳ δεσπότῃ. τὰ ἄλλα δὲ πεμμάτων ἐπιστήμων καὶ ὀψοποιὸς ἐμπειρότατος, καὶ ὅλως σοφιστὴς ἡδυπαθείας* nominatur et Schol. ad Menipp. p. 20, 7: *δεινὸς τὰ περὶ γαστέρα τε καὶ μαγείρους σοφιστής.*

Denique conferas Socratic. ep. IX (Aristippus Antistheni): *κακοδαιμονοῦμεν, ὦ Ἀντίσθενες, οὐ μετρίως. πῶς γὰρ οὐ μέλλομεν κακοδαιμονεῖν, ὄντες παρὰ τυράννῳ καὶ ὁσημέραι ἐσθίοντες καὶ πίνοντες πολυτελέα καὶ ἀλειφόμενοί τινι τῶν εὐωδεστάτων μύρων καὶ σύροντες ἐσθῆτας μαλακὰς ἐκ Τάραντος; καὶ οὐδείς με ἐξαιρήσεται τῆς Διονυσίου ὠμότητος, ὅς μ' ὥς τινα ἐνεχύριον οὐκ ἀγνῶτα, ἀλλὰ καὶ λόγων ἐπιμεληθέντα τῶν Σωκρατικῶν κατέχει, οἵαπερ ἔφην σιτίζων καὶ ἀλείφων καὶ ἀμφιεννύς, καὶ οὔτε δίκαν φοβεῖται τὰν θεῶν, οὔτ' ἄνθρωπον αἰδεῖται ὅστις με τοιαῦτα διατίθεται.*

Saepissime propter hanc molliter vivendi cupiditatem vituperabatur, sed semper sive hoc sive illo modo se defendebat.

Cf. Diog. L. II 68: *ὀνειδιζόμενός ποτ' ἐπὶ τῷ πολυτελῶς ζῆν· εἰ τοῦτ', ἔφη, φαῦλον ἦν, οὐκ ἂν ἐν ταῖς τῶν θεῶν ἑορταῖς ἐγένετο.* [1])

1) Cf. Diog. L. II 66. 69. 75. 76.

Iam vero nobis Periplecomenum, num talia inter delicias numeret, interrogantibus non negat. Is quoque semper bene se habet

Cf. v. 723:

Huic homini dignum est divitias esse et diu vitam dari,
Qui et rem servat et se bene habet suisque amicis usuist.

et luxuriosos cibos amat.

Cf. v. 738:

Nunc volo opsonare ut, hospes, tua te ex virtute et mea
Meae domi accipiam benigne, lepide et lepidis victibus.

Idem v. 677 Pleusiclem hortatur:

Deum virtute est te unde hospitio accipiam apud me comiter.
Es, bibe, animo obsequere mecum atque onera te hilaritudine.

ubi ex „mecum“ addito quid ipse de eiusmodi rebus cogitet, satis apparet. Imprimis autem convivia ei placent. Etenim non solum v. 666 „hilarissimum convivam“ se appellat:

Vel hilarissimum convivam hinc indidem expromam tibi,

sed etiam ex omnibus praeceptis, quae ad convivalem rationem spectant, quantopere haec gaudia eius sint in amore discimus.

Cf. v. 642—647:

Vel cavillator facetus vel conviva commodus
Idem ero: neque ego oblocutor sum alteri in convivio.
Incommoditate abstinere me apud convivas commode
Commemini: et meae orationis iustam partem persequi
Et meam partem itidem tacere, quom alienast oratio.
Minime sputator, screator sum, itidem minime muccidus.

Et v. 652—655:

Neque ego umquam alienum scortum subigito in convivio:
Neque praeripio pulpamentum neque praevorto poculum:
Neque per vinum umquam ex me exoritur discidium in convivio.
Siquis ibist odiosus, abeo domum, sermonem segrego.
Venerem, amorem amoenitatemque accubans exerceo.

Quibus in versibus id quoque respicias „convivium“ vocabulum quotiens iteretur, neque obliviscaris etiam Cyrenaicum philosophum, qui mos erat Graecorum, puellas ad convivia assumere solitum esse. Iam supra attulimus locum Luciani: .. *συμπιεῖν ἱκανὸς καὶ κωμάσαι μετ' αὐλητρίδος* ..., praeter quem Diog. L. II 76 conferri potest: *Πολυξένου ποτὲ τοῦ σοφιστοῦ εἰσελθόντος πρὸς αὐτὸν καὶ θεασαμένου γυναῖκάς τε καὶ πολυτελῆ ὀψωνίαν* ....

Deinde ut apud Lucianum Aristippus obsonator peritissimus nominatur, ita Periplecomenus quoque se esse „obsonatorem optumum“ iactat.

Cf. v. 667:

Vel primarium parasitum atque obsonatorem optumum (hinc indidem expromam tibi).

Nunc vero testimonium mihi afferendum est, quo omnis dubitatio, quin Aristippum habuerit exemplum poeta, si qua superest, mea quidem sententia tollitur. Apud Diogenem enim II 75—77 duae narratiunculae scriptae leguntur, e quibus quomodo Aristippus obtrectatoribus inicere solitus sit pudorem, elucet.

Inspiciamus primum II 75: *πρὸς τὸν ὀνειδίσαντα αὐτῷ πολυτελῆ ὀψωνίαν ἔφη· σὺ δ' οὐκ ἂν τριωβόλου ταῦτ' ἐπρίω; ὁμολογήσαντος δέ· οὐκέτι τοίνυν, ἔφη, φιλήδονος ἐγώ, ἀλλὰ σὺ φιλάργυρος*, deinde II 76—77: *Πολυξένου ποτὲ τοῦ σοφιστοῦ εἰσελθόντος πρὸς αὐτὸν καὶ θεασαμένου γυναῖκάς τε καὶ πολυτελῆ οψωνίαν, ἔπειτα αἰτιασαμένου μικρὸν διαλιπών· δύνασαι ἔφη, καὶ σὺ σήμερον μεθ' ἡμῶν γενέσθαι; τοῦ δ' ἐπινεύσαντος· τί οὖν, ἔφη, ἐμέμφου; ἔοικας γὰρ οὐ τὴν ὀψωνίαν ἀλλὰ τὸ ἀνάλωμα αἰτιᾶσθαι.*

Prorsus eiusdem sententiae fabella, quae optime cum his, imprimis cum altera, consentit, nisi quod delatata est atque amplificata, apud Plautum occurrit: Periplecomenum, qui v. 749 dixit se velle obsonare:

Nunc quod occepi obsonare pergam,

Pleusicles orat:

Si certumst tibi,
Commodulum obsona, ne magno sumptu: mihi quidvis sat est;

Eum senex increpat:

Quin tu istanc orationem hinc veterem atque antiquam amoves?
Proletario sermone nunc quidem, hospes, utere.
Nam i solent, quando accubuere, ubi cena adpositast, dicere:
„Quid opus fuit hoc sumptu tanto nostra gratia?
Insanivisti hercle: nam idem hoc hominibus sat erat decem.“
Quod eorum causa obsonatumst, culpant et comedunt tamen.
. . . .
Sed eidem homines numquam dicunt, quamquam adpositumst ampliter:
„Iube illud demi: tolle hanc patinam: remove pernam, nil moror:
Aufer illam offam porcinam: probus hic conger frigidust:
Remove, abi aufer:“ neminem eorum haec adseverare audias,
Sed procellunt se et procumbunt dimidiati, dum appetunt.

Quibus in versibus Plautinis nihil aliud nobis praeberi atque illam de Aristippo fabellam vix demonstratione videtur indigere. Ut illic Aristippus, sic hic Periplecomenus vituperatur, quod copiose obsonet; ut illic ii, qui antea vituperaverunt, cum invitati sint, libenter sequuntur, neque iam quidquam de copia ciborum queruntur, ita hic quoque convivium multum abest ut renuant; ut illic cupidi sunt edendi atque potandi, sic etiam hic nullum cibum spernunt. Id unum, sicut iam dixi, interest, quod apud Plautum lineamenta, quae apud Diogenem universe tantum sunt significata, in singulis partibus omnibus picta et polita videmus artis coloribus.

Huiusmodi luculentissimas voluptates cum expeteret, Aristippum pecuniam quoque amasse atque divitias facile credimus. Quod iam propterea maxime est verisimile, quod patria eius erant Cyrenae, quae urbs illis temporibus et mercatura et terrae ubertate adeo florebat, ut incolae magnas possiderent divitias. Sed exstant insuper satis multa testimonia, e quibus amorem eius divitiarum cognoscere possumus. Divitias enim dixit quam maximas esse expetendas, quae eatenus differrent a calceamentis, quod quamvis essent magnae, tamen numquam essent inutiles.

Cf. Stob. flor. 94, 32: *οὐχ ὥσπερ ὑπόδημα τὸ μεῖζον δύσχρηστον, οὕτω καὶ ἡ πλείων κτῆσις. τοῦ μὲν γὰρ ἐν τῇ χρήσει τὸ περιττὸν ἐμποδίζει, τῇ δὲ καὶ ὅλῃ χρῆσθαι κατὰ καιρὸν ἔξεστι καὶ μέρει.*

Socratic. ep. VIII (Antisthenes Aristippo): *σὺ δ' οἴει ταύτην εἶναι πλεονεξίαν τοῦ σπουδαίου, τὸ δύνασθαι κτᾶσθαι χρήματα μὲν πολλά, τοὺς δὲ δυνατωτάτους ἔχειν φίλους.*

Socratic. ep. XXIX 5 (Aristippus filiae): *μέγα οὖν, ὦ ἀγαθὴ γύναι, χαῖρε ἐπὶ τῷ πλουτεῖν πλοῦτον τὸν ὑπὸ σοὶ κείμενον καὶ κτηματίτην ποίει τοῦτον τὸν υἱόν, ὃν ἐβουλόμην μὲν αὐτὸς ἤδη ἐμὸν υἱὸν εἶναι.*

Diogenis ep. XXXII 1 (Aristippo): *ἐπυθόμην σε σχολάσαι βασκανίᾳ καθ' ἡμῶν καὶ παρὰ τῷ τυράννῳ ὀνειδίζειν ἑκάστοτε τὴν ἐμὴν πενίαν.*

Itaque non modo a discipulis pecuniam exigebat [1]) sed etiam eam agendi rationem nonnumquam sequebatur, quae nullo modo probari potest; exempli causa haud raro Dionysium adiit.

1) Cf. Diog. L. II 72. 74. 80.

Cf. Plut. Dionys. 19: *δωρεὰς δὲ χρημάτων πολλῶν καὶ πολλάκις τοῦ μὲν διδόντος, τοῦ δὲ μὴ δεχομένου παρὼν Ἀρίστιππος ὁ Κυρηναῖος· ἀσφαλῶς, ἔφη, μεγαλόψυχον εἶναι Διονύσιον. αὐτοῖς μὲν γὰρ μικρὰ διδόναι πλειόνων δεομένοις, Πλάτωνι δὲ πολλὰ μηδὲν λαμβάνοντι.* 1)

Ne divitiarum quidem amorem frustra apud Periplecomenum quaerimus, cui esse opes easque maximas cum sodalium verba ostendunt, tum ipse quoque profitetur. Pleusicles ab homine tam locupleti paene veretur auxilium petere.

Cf. v. 620:

> Pe: Quid id est, quod cruciat? cedo. (v. 617)
> Pl: Ea te expetere ex opibus summis mei honoris gratia
> Mihique amanti ire opitulatum.

Deinde conferas Palaestrionis verba v. 723:

> Huic homini dignum est divitias esse et diu vitam dari,
> Qui et rem servat ....

Senex autem ipse de bonis suis loquitur

v. 676: Deum virtute est te unde hospitio accipiam apud me comiter.

v. 679: Nam mihi, deum virtute dicam, propter divitias meas
Licuit uxorem dotatam genere summo ducere.

v. 707: Mea bona mea morte cognatis didam, inter eos partiam.

v. 715: Bona mea inhiant (cognati).

Vehementissimo amore libertatem amplectebatur Aristippus, qua non solum saepissime ad immoderatam illam vivendi licentiam, cuius exempla iam multa vidimus, sed etiam ut patriae amorem neglegeret, perductus est. Libertatem enim ad beate vivendum omni modo necessariam iudicabat, qua de re docemur a Xenophonte, apud quem Aristippus ipse de ea dicit: *πειρῶμαι βαδίζειν ... δι' ἐλευθερίας, ἥπερ μάλιστα πρὸς εὐδαιμονίαν ἄγει.* Quae verba cum ab eo ita explicentur, ut mediam illam, qua libertas compararetur, viam neque cum imperio neque cum servitute coniunctam esse dicat, iam Socrates metuit, ne hac via ab omni hominum commercio separetur. Quae Socratis verba bene cum iis consentiunt, quae ab ipso Aristippo pronuntiata dicuntur: *ἀλλ' ἐγώ τοι, ἔφη, οὐδ' εἰς πολιτείαν ἐμαυτὸν κατακλείω, ἀλλὰ ξένος πανταχοῦ εἰμί.* Repudiabat igitur ille patriam

1) Cf. Diog. L. II 78. 81. 82.

mundique civem se putasse videtur, cuius libertatis studii testimonia facile cumulantur.[1])

Quid? hac in re nonne rursus cum Aristippo consentit Periplecomenus? Libertati nonne tantundem tribuit momenti quantum ille?

Liberae sunt aedis, liberum autem ego me volo vivere.

exclamat v. 677, quam libertatem quia omittere non vult, etiam matrimonium inire et liberos procreare spernit; pergit enim ibidem:

Nam mihi deum virtute dicam propter divitias meas
Licuit uxorem dotatam genere summo ducere,
Sed nolo mihi oblatratricem in aedis intromittere.

eique assentiuntur amici v. 683:

Hercle vero liberum esse tete, id multo lepidiust.

et v. 701: Di tibi propitii sunt, nam hercle si istam semel amiseris
Libertatem, haud facile in eundem rusum restitues locum.

Versus quoque inde ab 745 usque ad 748 comparari possunt:

Serviendae servituti ego servos instruxi mihi,
Hospes, non qui mihi imperarent quibusve ego essem obnoxius.
Si illis aegrest mihi id quod volup est, meo remigio rem gerunt:
Tamen id quod odiost faciundumst cum malo atque ingratiis.

Restat, ut nonnullas res pusillas afferam, quas cum Aristippo communes habet Periplecomenus.

In loco Xenophonteo, quem supra exscripsimus, Memorab. II 10 inter Aristippi cupiditates etiam *ἐπιθυμίαν ὕπνου* commemoratam vidimus, quocum apte conferri posse arbitror, quod Periplecomenus inter cetera matrimonii incommoda etiam hoc affert: uxorem maritum ne usque ad solis ortum quidem dormire sinere.

Cf. v. 690:

Verum priusquam galli cantent, quae me e somno suscitet.

Itaque hic quoque senex somno libenter se dedere solet.

Deinde a Luciano Parasit. 33 Aristippus Dionysii parasitis ascribitur: *πάντων γοῦν ἀμέλει τῶν παρασίτων αὐτὸς εὐδοκίμει παρ᾽ αὐτῷ*, idque non sine iure, sicut iam vidimus eum dona beneficiaque accipere minime dubitasse, quin etiam, nisi offerrentur, precibus ea appetere non veritum esse.

Simili autem modo etiam senex se primarium parasitum nominat.

1) Cf. Plut. virt. doc. p. 2 et eiusdem in Hesiod. 9.

Cf. v. 667:

Vel primarium parasitum (hinc indidèm expromam tibi).

Porro narrabant scriptores antiqui Aristippum, quamquam esset philosophus, apud Dionysium non veritum esse saltare.

Cf. Diog. L. II 78: *καί ποτε παρὰ πότον κελεύσαντος Διονυσίου ἕκαστον ἐν πορφυρᾷ ἐσθῆτι ὀρχήσασθαι .... τὸν δ' Ἀρίστιππον λαβόντα καὶ μέλλοντα ὀρχήσασθαι εἶπεν ....*

A quo minime dissentit v. 668:

Tum ad saltandum non cinaedus malacus aequest atque ego.

Tum pretiosas vestes illum delectasse notum est:

Cf. Tertull. apolog. adv. gent. 46: *Aristippus in purpura sub magna gravitatis superficie nepotatur* et Luciani bis accus. 23: *ἐμὸς γὰρ ὁ ἀνήρ, ὥς ἐστιν ὁρᾶν ἀπὸ τῶν στεφάνων καὶ τῆς πορφυρίδος ...*

Periplecomenus autem „malaca" saltem et „calida" vestimenta flagitat

Cf. v. 687:

Quae mihi numquam hoc dicat: „eme, mi vir, lanam, unde tibi pallium
Malacum et calidum conficiatur tunicaeque hibernae bonae,
Ne algeas hac hieme"

et non pannis vestitum eum in scenam prodire per se patet.

Postremo de versibus 736 et 737 pauca verba faciam, ubi senex Pleusiclem, qui deos vituperavit, admonet:

Qui deorum consilia culpet, stultus inscitusque sit,
Quique eos vituperet.

Etsi tale quid de Aristippo nobis non est traditum, tamen a Theodoro librum scimus esse compositum, cuius titulus eandem sententiam continebat.

Cf. Epicuri frgm. 391 (Diog. L. II 97): *ἦν δὲ ὁ Θεόδωρος παντάπασιν ἀναιρῶν τὰς περὶ θεῶν δόξας καὶ αὐτοῦ περιετύχομεν βιβλίῳ ἐπιγραφομένῳ Περὶ θεῶν οὐκ εὐκαταφρονήτῳ, ἐξ οὗ φασιν Ἐπίκουρον τὰ πλεῖστα λαβόντα εἰπεῖν.*

Theodorus autem discipulus erat Aristippi, ut etsi non ad hunc ipsum, tamen ad sectam quidem Cyrenaicam delegemur.

Nunc vero animi ingeniique indolem utriusque spectemus et videamus, num ea quoque eadem sit apud Aristippum atque Periplecomenum.

Inusitata profecto atque mirabilis fuit illius animi mobilitas et dexteritas, qua omnibus vitae condicionibus se accommodare poterat.

Omnis Aristippum decuit color et status et res
Temptantem maiora, fere praesentibus aequum:

sic laudat eum Horatius ep. I 17, 23/24, et Diogenes Laertius de eo dicit II 66: *ἦν δ' ἱκανὸς ἁρμόσασθαι καὶ τόπῳ καὶ χρόνῳ καὶ προσώπῳ καὶ πᾶσαν περίστασιν ἁρμοδίως ὑποκρίνασθαι. διὸ καὶ παρὰ Διονυσίῳ τῶν ἄλλων εὐδοκίμει μᾶλλον ἀεὶ τὸ προσπεσὸν εὖ διατιθέμενος.* Ibidem ipse de ea re gloriatur II 68: *ἐρωτηθεὶς τί αὐτῷ περιγέγονεν ἐκ φιλοσοφίας, ἔφη· τὸ δύνασθαι πᾶσι θαρροῦντως ὁμιλεῖν.*

Haud minore autem dexteritate Periplecomenus est. Videas modo, quam multa ille praestare possit, quamquam iam grandis natu est!

At quidem illuc aetatis qui sit non invenies alterum
Lepidiorem ad omnis res,

dicit Pleusicles v. 659—660, cui senex ipse non obloquitur v. 661—668:

Tute me ut fateare faciam esse adulescentem moribus:
Ita apud omnis conparebo tibi res benefactis frequens.
Opusne erit tibi advocato tristi, iracundo? ecce me.
Opusne leni? leniorem dices quam mutumst mare:
Liquidiusculusque ero quam ventus est favonius.
Vel hilarissumum convivam hinc indidem expromam tibi
Vel primarium parasitum atque obsonatorem optumum.
Tum ad saltandum non cinaedus malacus aequest atque ego.

Quarum sollertiarum iam plurimas in alio conexu ad Aristippum reicere potuimus. Porro versus quoque 642 huc pertinet:

Vel cavillator facetus vel conviva commodus
Idem ero.

Etiam de „conviva commodo“ iam satis verba facta sunt, de „cavillatione autem faceta“ pauca addere velim. Inter praestantissimas enim Aristippi virtutes sine dubio hae facetiae numerandae sunt, et innumerabilia fere salse et aculeate dicta apud scriptores invenies, quae ille occasione data et elegantissime et prudentissime pronuntiavit. Quorum nonnulla iam attigimus, similia autem apud Diogenem facile reperiuntur.

Conferas praeterea Socratic. ep. XII (Simon Aristippo): *ἔσται δὲ ὁ σωφρονιστὴς τῶν ἀφρόνων ὑμῶν παιδίων Ἀντισθένης.*

Et videas quemadmodum ibidem ep. XIII Simonem ludibrio habeat Aristippus, ep. IX Antisthenem.

Praeter hanc animi mobilitatem Aristippi summa humanitas fuit propria atque urbanitas — *ἥδιστος* a Gregorio Nazianzeno appellatur et ab eodem in eo *τὸ εὐχάριστον τοῦ τρόπου καὶ στώμυλον* praedicatur — eandem autem dulcedinem suavitatemque morum etiam in Periplecomeno admiramur. Quam **suaviter** enim atque eleganter in conviviis se **gerit**!

Cf. v. 643 sq.:

Neque ego oblocutor sum alteri in convivio.
Incommoditate abstinere me apud convivas commode
Commemini: et meae orationis iustam partem persequi
Et meam partem itidem tacere, quom alienast oratio.
Minume sputator, screator sum, itidem minume muccidus.
. . . .
Plus dabo quam praedicabo ex me venustatis tibi.
Neque ego umquam alienum scortum subigito in convivio:
Neque praeripio pulpamentum neque praevorto poculum:
Neque per vinum umquam ex me exoritur discidium in convivio.
Siquis ibist odiosus, abeo domum, sermonem segrego.

Quos versus perlegentes Aristippum nonne ipsum loquentem nos audire putamus? Quod quo magis appareat, singulas liberalitatis virtutes, quibus senex hoc loco gloriatur, cum Aristippeis componamus.

Periplecomenum, ut ex versibus, quos attulimus, liquido apparet, nullius fere vitii magis taedet quam arrogantiae. Numquam se iactat aut insolentius se effert, sed semper modeste atque placide se gerere studet.

Neque Aristippo minori odio erat arrogantia, quam quanto acumine vituperare solitus sit, ex multis narratiunculis colligi potest.

Cf. Arist. Rhet. B 23: *Ἀρίστιππος πρὸς Πλάτωνα ἐπαγγελτικώτερόν τι εἰπόντα, ὡς ᾤετο· ἀλλὰ μὴν ὅγ' ἑταῖρος ἡμῶν οὐδὲν τοιοῦτον, λέγων τὸν Σωκράτη.*

Diog. L. II 71: *Σεμνυνομένου τινὸς ἐπὶ πολυμαθίᾳ ἔφη· ὥσπερ οὐχ οἱ τὰ πλεῖστα ἐσθίοντες καὶ γυμναζόμενοι ὑγιαίνουσι μᾶλλον τῶν τὰ δέοντα προσφερομένων, οὕτως οὐδὲ οἱ πολλά, ἀλλ' οἱ χρήσιμα ἀναγινώσκοντές εἰσι σπουδαῖοι.* [1])

1) Cf. Diog. L. II 73. 74.

Socratic. ep. XXIX 3 (Aristippus filiae): *πειρῶ δὲ μετὰ Ξανθίππης καὶ Μυρτοῦς ζῆν, ὡς ἐμοὶ φίλον μετὰ Σωκράτους, πλέον διὰ τὴν ἐκείνων φιλίαν σεαυτὴν στέλλουσα· κεῖθι γὰρ τὸ σοβαρὸν οὐκ ἐπιχώριον.*

Porro omni modo id agit senex, ne quem laedat, hac quoque in re Aristippi discipulus; qui quam vehementer cum omnibus in amicitia esse et, si quem laeserat, quam celerrime in eius gratiam redire voluerit, bene ex Diog. L. II 82 cognoscimus: *ὀργισθεὶς πρὸς Αἰσχίνην μετ' οὐ πολύ· οὐ διαλαχθησόμεθα, οὐ παυσόμεθα, εἶπε, ληροῦντες; ἀλλ' ἀναμενεῖς, ἕως ἄν ἐπὶ τῆς κύλικος ἡμᾶς διαλλάξῃ τις; καὶ ὅς· ἄσμενος, ἔφη. μνημόνευε τοίνυν, εἶπεν ὁ Ἀρίστιππος, ὅτι σοι πρότερος πρεσβύτερος ὢν προσῆλθον. καὶ ὁ Αἰσχίνης· εὖγε, νὴ τὴν Ἥραν, εὐλόγως εἶπας, ἐπεὶ πολλῷ μου βελτίων ὑπάρχεις· ἐγὼ μὲν γὰρ ἔχθρας, σὺ δὲ φιλίας ἄρχεις.* [1])

Deinde iurgiorum atque altercationum Periplecomenus tantum abest ut participetur, ut domum abeat.

Idem autem de Aristippo tradit Diog. L. II 70: *λοιδορούμενός ποτε ἀνεχώρει. τοῦ δ' ἐπιδιώκοντος εἰπόντος· τί φεύγεις; ὅτι, φησί, τοῦ μὲν κακῶς λέγειν σὺ τὴν ἐξουσίαν ἔχεις, τοῦ δὲ μὴ ἀκούειν ἐγώ.*

Simile quid apud Stobaeum legitur flor. 19, 6: *Ἀρίστιππος λοιδοροῦντος αὐτόν τινος ἔφη· τοῦ μὲν λέγειν κακῶς σὺ κύριος εἶ, τοῦ δὲ δικαίως ἀκούειν ἐγώ.*

Sed ut „orationis iustam partem persequitur" Periplecomenus, ita etiam eius magister saepissime suo tempore fortiter atque libere loquebatur. [2])

Et haec quidem de versibus 642—655. Restat ut pauca addam de ratione, quae inter Aristippum et eius amicos intercedebat. Summa comitate eum erga hos fuisse etsi testimonia non ita multa sunt, cum per se patet, tum ex Aeliani loco colligi potest.

Cf. Aelian. v. h. VII 3: *Ἀρίστιππος ἑταίρων αὐτῷ τινῶν ὀδυρομένων βαρύτατα, πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα πρὸς αὐτοὺς εἶπε λύπης ἀνασταλτικά, καὶ ταῦτα δὲ ἐν προοιμίοις· ἀλλ' ἔγωγε ἥκω*

---

1) Cf. Plut. de cohib. ira c. XIV.

2) Cf. Diog. L. II 73. 77. Stob. flor. 49, 22.

παρ' ὑμᾶς οὐχ ὡς συλλυπούμενος ἀλλ' ἵνα παύσω ἡμᾶς λυπουμένους.

Adde Socratic. ep. XI (Aristippus Aeschini): *λυθήσονται τᾶς φυλακᾶς οἱ νεανίσκοι περὶ ὧν μοι γράφεις οἱ Λοκροί, καὶ οὐ τεθνάξονται οὐδὲ ἀπολοῦντί τι τῶν χρημάτων, ἥκοντές γε παραυτὰ τοῦ θανεῖν. ταῦτα δὲ Ἀντισθένει μὴ λέξῃς, εἰ σέσωκα τοὺς φίλους.*

Et Socratic. ep. XXIII (Aeschines Phaedoni): *Ὁπότε ἐγενόμην ἐν Συρακούσαις, εὐθέως κατὰ τὴν ἀγορὰν Ἀριστίππῳ ἐνέτυχον, ὁ δὲ λαβόμενός μου τῆς δεξιᾶς παραχρῆμα μηδὲν μελλήσας εἰσάγει πρὸς Διονύσιον .....*

Haud minori curae Periplecomeno amici sunt.

Cf. v. 633 sq.:

Pleusicles: Pol id quidem experior ita esse ut praedicas, Palaestrio:
Nam benignitas quidem huius oppido adulescentulist.
Per: Immo, hospes, magis quom periclum facies, magis nosces meam
Comitatem erga te amantem. **Pl**: Quid opus nota noscere?

Et v. 736:

Qui et rem servat et se bene habet suisque amicis usuist.

Haec omnia, quae de Periplecomeno huc usque conscripsimus si pensitaverit, cum tale ingenium talesque mores huic seni tribuerit poeta, quis est qui dubitet, quin alterum Aristippum effingere voluerit? Quod quominus credamus hoc unum impedire posse videtur, quod eas causas, quibus Periplecomenus versibus inde ab 678 usque ad 722 se matrimonium inire prohiberi dicit, frustra apud Cyrenaicum philosophum quaerimus. Et hic aqua videtur haerere. Undenam haec deprompsit poeta? Num ex alia disciplina mutuatus est? Num ipse omnia sibi finxit? Permultum temporis fateor me frustra has quaestiones solvere conatum esse, paene iam omnino spem perdebam, cum fragmentum Theophrasteum mihi venit in manus, quod cum perlegissem, continere non poteram, quin summo quidem cum gaudio haud minore autem cum admiratione exclamarem: *εὕρηκα.* Ecce omnia, quae usque ad id tempus frustra quaesiveram, ecce fons, unde illa de matrimonio disputatio fluxit, neque ulla, ne minima quidem, exsistere poterat dubitatio.

Sed quid commune habet cum Aristippo Theophrastus? Hominem Aristippeum si depingere voluit poeta, quomodo

doctrinas Theophrasteas eum proferentem facere potuit? Hac de re postea.

Theophrasti fragmentum, de quo agimus, in quo id quaerit philosophus, num vir sapiens ducat uxorem, ex Graeco in Latinum translatum a Seneca libro qui fuit de matrimonio inserebatur, inde per Tertulliani „ad amicum philosophum de nuptiarum angustiis" disputationem ad Hieronymum pervenit, apud quem servatum est in libro, quem scripsit adversus Iovinianum I pag. 191. [1]) Bockius autem iudicat „nihil aliud" hoc esse fragmentum „nisi thesim rhetoricam sumptam ex eo opere, quod Diog. Laert. commemorat V 44 θέσεις κδ." [2]) Hoc ex Theophrasteo fragmento Plautinos versus pendere nunc demonstrandum est.

Iam supra vidimus primum propter libertatis amorem uxorem ducere nolle Periplecomenum.

Cf. v. 678:

Liberae sunt aedis, liberum autem ego me volo vivere.

Eandem autem causam, libertas sapientis quod matrimonio comminuatur, etiam Theophrastus saepius profert.

Cf. § 48: [3]) ... *non est ergo uxor ducenda sapienti. Primum enim impediri studia philosophiae nec posse quemquam libris et uxori pariter inservire.*

§ 49: *Si doctissimus praeceptor in qualibet urbium fuerit, nec uxorem relinquere nec cum sarcina ire possumus.* Libertas igitur itinerum faciendorum tollitur.

§ 51: *Vocanda domina* ..

§ 52: *Si totam domum regendam ei commiseris, serviendum est: si aliquid tuo arbitrio reservaveris, fidem sibi haberi non putabit sed in odium vertetur ac iurgia, et nisi cito consulueris, parabit venena.*

§ 54: *Quod si propter dispensationem domus et languoris solacia et fugam solitudinis ducuntur uxores, multo melius servus fidelis dispensat, obediens auctoritati domini et dispensationi eius obtemperans, quam uxor, quae in eo se existimat dominam,*

1) Cf. Felix Bock, Aristoteles, Theophrastus, Seneca de matrimonio, Lips. 1898, pag. 7—11.

2) Cf. Bock pag. 43.

3) Seneca ed. Haase.

si adversum viri faciat voluntatem, id est quod placet, non quod iubetur.

Deinde pergit Periplecomenus:

Nam mihi deum virtute dicam propter divitias meas
Licuit uxorem dotatam genere summo ducere,

quocum statim coniungas v. 685:

Nam bona uxor suave ductust, si sit usquam gentium,
Ubi ea possit inveniri.

His versibus respondet Theophrastei fragmenti initium: *Fertur aureolus Theophrasti liber de nuptiis, in quo quaerit an vir sapiens ducat uxorem, et cum definisset, si pulchra esset, si bene morata, si honestis parentibus, si ipse sanus ac dives, sic sapientem aliquando inire matrimonium, statim intulit: Haec autem in nuptiis raro universa concordant. Non est ergo uxor ducenda sapienti.*

Similitudo inter Plautinos versus et Theophrasteum locum non solum ea est, quod „propter divitias meas" respicit ad „si ipse dives" et „uxorem genere summo" ad „si honestis parentibus" et „bona uxor" ad „si bene morata," sed etiam quod in utroque loco vir in cogitationem quidem uxoris ducendae incidit idque nonnumquam saltem ne repudiandum quidem esse concedit, attamen cum rarissime condiciones necessariae expleantur, consilium omittit.

Proxime autem ad sententiam, quae est bonam uxorem rarissime inveniri, alius locus fragmenti accedit.

Cf. § 56: *Aut si bona fuerit et suavis uxor, quae tamen rara avis est.* [1])

Quod enuntiatum quamquam apud Theophrastum in alio conexu legitur atque apud Plautum — pergitur enim: *cum parturiente gemimus, cum periclitante torquemur* — tamen adeo etiam per singula vocabula cum versu Plautino consentit, ut quin fons eius fuerit, dubitari non possit.

---

1) Cf. Iuvenal. sat. VI 162:

sit formosa, decens, dives, fecunda, vetustos
porticibus disponat avos, intactior omni
crinibus effusis bellum dirimente Sabina,
rara avis in terris nigroque simillima cygno.

Iuvenalem enim hac in satura Senecae de matrimonio librum adhibuisse itaque ex Theophrasto pendere demonstravit Bockius pag. 44 sq.

Sequitur apud Plautum:

verum egone eam ducam domum,
Quae mihi numquam hoc dicat: „eme, mi vir, lanam, unde tibi pallium
Malacum et calidum conficiatur tunicaeque hibernae bonae,
Ne algeas hac hieme?“ hoc numquam verbum ex uxore audias:
Verum prius quam galli cantent, quae me e somno suscitet..

Quibus cum versibus apud Theophrastum non habeo quod comparem, nisi quod cum versu 690 apte paragraphum 49 componi posse arbitror: *deinde per noctes totas garrulae conquestiones*,[1]) nam neque Periplecomenus neque sapiens propter uxoris iurgia somnum capere possunt.

Rursus autem quam mirifice incommoda, quae enumerat senex, cum Theophrasteis consentiant animadvertas:

da, mi vir, Calendis meam qui matrem munerem:
Da qui faciam condimenta, da quod dem quinquatribus,
Praecantrici, coniectrici, hariolae atque haruspicae:
Flagitiumst, si nil mittetur, quae supercilio spicit.
Tum plicatricem clementer non potest quin munerem:
Iam pridem, quia nil abstulerit, suscenset ceriaria:
Tum opstetrix expostulavit mecum, parum missum sibi:
Quid? nutrici non missuru's quicquam, quae vernas alit?

„Hariolas“ enim et „haruspices“ et „plicatricem“ invenies fragmenti § 52, quamquam hoc quoque loco conexus a Plautino dissentit: *Anus et aruspices et hariolas et institores gemmarum sericarumque vestium si intromiseris, periculum pudicitiae est: si prohibueris, suspicionis iniuria*; et „nutricem“ et „vernam“ § 51: *Honoranda nutrix eius et gerula. servus paternus et alumnus et formosus assecla et procurator calamistratus et in longam securamque libidinem exsectus spado, sub quibus nominibus adulteri delitescunt.*[2])

1) Cf. Iuv. sat. VI 34:
.... nonne putas melius, quod tecum pusio dormit?
pusio, qui noctu non litigat, exigit a te
nulla iacens illic munuscula, nec queritur, quod
et lateri parcas nec quntum iussit anheles.

2) Cf. Iuv. sat. VI 351:
... longorum vehitur cervice Syrorum.
et VI 353:
conducit comites, sellam, cervical, amicas,
nutricem et flavam, cui det mandata, puellam.

Deinde Periplecomenus pergit:

> Haec atque horum similia alia damna multa mulierum
> Me uxore prohibent, mihi quae huius similis sermones serat.

Quorum damnorum nonnulla a Theophrasto enumerantur § 48: *Multa esse quae matronarum usibus necessaria sint: pretiosae vestes, aurum, gemmae, sumptus, ancillae, supellex varia, lecticae et esseda deaurata.*

Nunc v. 703 seni Pleusicles opponit:

> At illa laus est, magno in genere et in divitiis maxumis
> Liberos hominem educare, generi monimentum et sibi.

Cui repugnat Periplecomenus:

> Quando habeo multos cognatos, quid opus est mihi liberis?
> Nunc bene vivo et fortunate atque ut volo atque animo ut lubet.
> Mea bona mea morte cognatis didam, inter eos partiam:
> Hi apud me aderunt, me curabunt: visent quid agam, quid velim:
> Prius quam lucet adsunt, rogitant noctu ut somnum ceperim.
> Eos pro liberis habebo, qui mihi mittunt munera.
> Sacrificant: dant inde partem mihi maiorem quam sibi,
> Abducunt ad exta, me ad se ad prandium, ad cenam vocant.
> Ille miserrumum se retur, minumum qui misit mihi.
> Illi inter se certant donis: egomet mecum mussito:
> "Bona mea inhiant: me certatim nutricant et munerant"

eique assentitur Palaestrio:

> Nimis bona ratione nimiumque ad te et tuam vitam habes,
> Et tibi sunt gemini et trigemini, si te bene habes, filii.

Easdem sententias Theophrastus praebet. Etenim non modo suadet, ne quis „generi monumentum et sibi“ liberos procreet, cum nihil intersit nomen hominis utrum intereat necne —

Cf. § 58: *Porro liberorum causa uxorem ducere, ut vel nomen nostrum non intereat vel habeamus senectutis praesidia et certis utamur heredibus, stolidissimum est. Quid enim ad nos pertinet recedentes e mundo, si nomine nostro alius nominetur, quum et filius non statim patris vocabulum referat et innumerabiles sint, qui eodem appellentur nomine?*

sed etiam sicut Periplecomenus ab amicis et cognatis diligentisime fovetur eosque liberorum loco habet et heredum, ita Theophrastus quoque amicos et cognatos meliores esse heredes quam liberos et optime sapientem curare posse existimat.

Cf. § 59: *Heredes autem meliores et certiores amici sunt et propinqui, quos iudicio deligas, quam quos, velis nolis, habere cogaris.*

§ 55: *Assidere autem aegrotanti magis possunt amici et vernulae beneficiis obligati, quam illa* (sc. *uxor*), *quae nobis imputat lacrimas suas.*

Postremo Periplecomenus matrimonium propterea sprevit, quod liberi patri multas magnasque sollicitudines afferant v. 719:

Pol si habuissem, satis cepissem miseriarum e liberis.

. . . .

Continuo excruciarer animi: si ei forte fuisset febris,
Censerem emori: cecidissetve ebrius aut de equo uspiam,
Metuerem, ne ibi diffregisset crura aut cervices sibi.

Quibuscum versibus fragmenti paragraphum 58 aliqua ex parte comparari posse arbitror: *Aut quae senectutis auxilia sunt enutrire domi, qui aut prior te forte moriatur aut perversissimis sit moribus aut certe quum ad maturam aetatem venerit, tarde ei videaris mori?*

Neque enim minore metu, ne filius se sollicitet, sapiens Theophrasteus perterretur quam Periplecomenus

Ex his, quae dixi, satis apparere videtur eam partem Theophrasteae περὶ γάμου disputationis, quae nobis servata est, a poeta esse adhibitam. Nam omnes fere versus ad Theophrastum referre potuimus praeter versus inde ab 687 usque ad 689, quibus uxorem numquam mariti curare commoditatem senex queritur. Qui utrum iam a Graeco poeta additi sint an a Plauto discernere non possumus. Attamen id saltem patet huius partis fabulae longe plurima Graeco poetae attribuenda esse, quamquam pauca a Plauto novata esse iam inde discimus, quod feriae matronales (v. 691) et quinquatrus commemorantur.

Reliquum videtur, ut quemadmodum poeta comicus libro Theophrasteo usus sit paucis adumbrem. Neque enim totum argumentum fragmenti in usum suum convertit, sed nonnulla tantum sibi sumpsit. Exempli gratia Theophrastus hoc quoque inter incommoda matrimonii numerat, quod uxor ante nuptias non ostendatur, ut num iracunda sit vel fatua vel deformis vel superba vel foetida postea demum observari possit, quamquam

nemo asinos et boves empturus sit, quin eos antea viderit.[1]) Tum ne ea quidem mala, quae ex mulierum impudicitia atque perfidia exsistunt,[2]) apud Plautum inveniuntur. Id autem iam vidimus nonnulla eorum, quae ex Theophrasti libro deprompta sunt, sive sententia flexa sive conexu mutato paulo aliter a poeta formata esse. Itaque quamquam hic libere ad philosophum se applicavit, tamen adeo ex eo pendet, ut Theophrasteo ex libro versus Plautini quin fluxerint nullo modo dubitari possit.

Sed quid commune habet cum Aristippo Theophrastus? Hominem Aristippeum si depingere voluit poeta, num doctrinas Theophrasteas eum proferentem facere potuit? num eundem hominem duorum philosophorum, qui nullo vinculo inter se coniuncti erant, assectatorem potuit reddere atque discipulum? Quod cum primum prorsus mihi videretur incredibile, quaerendum mihi esse censebam, num iam Aristippus matrimonium inire vetuisset discipulos. Neque tamen vetuisse videtur. Nam neque argumenta potui invenire, quibus hoc posset effici (vetabat sane Epicurus; sed Epicuri his in rebus oracula ex Cyrenaico voluptatis patrono derivare, ubi testes silent tacentque, non facile audeo) neque Aristippum ipsum habuisse uxorem filiamque ignoramus. Accedit autem etiam hoc: epistulas illas Socraticorum, quae vocantur, quibus supra ad argumentationem usi sumus, non esse genuinas quis est quin sciat? Sed quoniam id sibi qui scripserunt proposuerunt, ut Aristippi ingenium moresque iis describerent, idem consilium secuti quod comicus poeta in Milite Glorioso, neque tamen usquam eum inducunt matrimonia dissuadentem, etiam hac de causa verisimile debet videri Aristippum discipulis uxorem ducere permisisse. Itaque nihil aliud restat nisi ut statuam poetam comicum, quamvis Aristippi indolem animi ingeniique attribuere studuerit Periplecomeno, tamen hanc de matrimonio disputationem alieno ex fonte esse mutuatum.

Et haec quidem hactenus. Sub finem autem huius disputationis liceat mihi de Militis Gloriosi exempli auctore Graeco coniecturam proferre, quae Theophrastea doctrina quantum valuerit in hac fabula quoniam vidimus, in promptu mihi videtur

1) Cf. § 50.
2) Cf. § 53.

esse. Saepius quidem uxorem ducere vetant comici Attici — cf. Philemonis frgm. 198, 236, 239, Philippidis frgm. 1 — imprimis autem Menander ut frgm. 1 (Terent. adelph. I 1, 18), 15, 154, 532, 535, 582, 583, 584, 585, 649, 650, 651, 654. Qua in re eum Theophrastum secutum esse propterea mihi videtur verisimillimum, quod discipulus eius dicebatur Menander.

Cf. Diog. L. V 2: *ὁ δὲ Θεόφραστος γέγονεν ἀνὴρ συνετώτατος καὶ καθά φησι Παμφίλη ἐν τῷ τριακοστῷ δευτέρῳ τῶν ὑπομνημάτων διδάσκαλος Μενάνδρου κωμικοῦ.* [1])

Quae cum ita sint, num temere agere videor, si Graecae fabulae „Alazonis“ aut, si plures contaminavit Plautus, eius exempli, in quo illi versus positi erant, poetam fuisse Menandrum conicio?

Iam alii viri docti de eodem Menandro Militis exempli auctore cogitaverunt. Actum enim primum de Menandri Colace depromptum esse coniecit W. A. Beckerus. Nostram autem argumentationem aliqua ex parte confirmat Ribbeckius, qui, quamquam Menandrum Alazonem scripsisse negat, tamen concedit: [2]) „Mit besonderer Vorliebe hat Menander ihn (den *Ἀλαζών*) wieder und wieder gezeichnet, gewiss feiner und massvoller als die römischen Bearbeiter seiner und andrer griechischer Originale“ et „Die Erwähnung des Königs Seleukus (v. 75, 946), der Ol. 118, 3 = 306 v. Chr. den königlichen Titel angenommen hat und Ol. 124, 4 = 281 ermordet ist, weist uns in die Blütezeit der neueren attischen Komödie, als Menander (341—390), Diphilos, Philemon (tritt auf 328, gestorben 262) in voller Wirksamkeit standen“ [3]) et „Nur im allgemeinen erinnern die Seitenbemerkungen des Parasiten in unsrer ersten Scene (21 ff. 33 ff.) an den Stossseufzer eines Menandrischen Kollegen, der leider ohne Dramentitel citiert wird, inc. fab. frgm. 556:

σφάττει με, λεπτὸς γίνομ᾽ εὐωχούμενος
τὰ σκωμάτια τἄσοφά τε καὶ στρατηγικα.
οἷος δ᾽ ἀλαζὼν ἐστιν ἀλιτήριος!

Dubitat de Menandro Ussingius.

---

1) Cf. Wilamowitz, Antig. v. Kar. S. 179.
2) Alazon pag. 36.
3) l. l. pag. 55.

Cf. edition. IV 1 pag. 222: *Graecum fabulae nomen Ἀλαζών fuit, v. 86, auctor ignotus est. Menander quidem pariete perfosso ita ut ex vicinis aedibus puella clam intrare possit, in Phasmate usus est, quod quum iam Donatus ad Terentii Eunuch. v. 9 commemorasset, nuper invento fragmento illius fabulae confirmatum est (v. Jernstedt, Fragmenta Porphyriana Comoediae Atticae, Petrop. 1891 p. 151 sq.). Quod nostrae fabulae argumentum eodem artificio nititur, notari debet, sed nihil inde effici posse videtur.*

Denique ab imitatore quidem Menandri Alazonem esse compositam demonstrare conatur Leo.[1])

Haec fere sunt, quae proferre volui. Ostendisse mihi videor hac disputatiuncula poetas comicos valde adamasse Epicuri doctrinam, haud neglexisse Peripateticam sectam, Periplecomenum autem neque esse fatuum nugatorem neque facetum Ephesium, sed alterum Aristippum.

1) Plautin. Forsch. pag. 103 adnot. 4.

Vita.

Natus sum Fridericus Guilhelmus Ranke anno h. s. LXXV **die XXIV mensis** Aprilis patre Ioanne matre Gesche e gente Olters in **vico Hanoverano**, cui nomen est Hoehen. Fidei addictus sum evangelicae. **Litterarum** elementis imbutus gymnasium Stadense frequentavi, unde **maturitatis testimonium** adeptus autumno anni XCV academiam Gottingensem adii, ut studiis operam darem philologis. Cum ibi per quater sex menses scholas audivissem, ad hanc almam Musarum sedem commigravi. Docuerunt me Leo, de Wilamowitz-Moellendorff, Kaibel, Schultze, Dilthey, Roethe, Heyne, Max Lehmann, Birt, Maass, Niese, Cohen, Natorp, Kretzschmer, Judeich, Thiele. Quibus praeceptoribus gratias ago quam maximas, inprimis vero Birtio, qui praeter ceteros studiis meis favit.

DATE DUE			